DA
200
.W72

NUNC COGNOSCO EX PARTE

TRENT UNIVERSITY
LIBRARY

PRESENTED BY
THE PEMBERTON FAMILY
in memory of
Prof.R.E.K.Pemberton,M.A.(OXON)
of the
University of Western Ontario

TEXTS FOR STUDENTS, No. 12

SELECTIONS FROM
[E "HISTORIA RERUM ANGLICARUM"
OF
WILLIAM OF NEWBURGH

BY

CHARLES JOHNSON, M.A.

[e 1s. 3d. net

HELPS FOR STUDENTS OF HISTORY.

No. 1. **EPISCOPAL REGISTERS OF ENGLAND AND WALES.** By R. C. Fowler, B.A., F.S.A. 6d. net.

No. 2. **MUNICIPAL RECORDS.** By F. J. C. Hearnshaw, M.A. 6d. net.

No. 3. **MEDIEVAL RECKONINGS OF TIME.** By Reginald L. Poole, LL.D., Litt.D. 6d. net.

No. 4. **THE PUBLIC RECORD OFFICE.** By Charles Johnson. 6d. net.

No. 5. **THE CARE OF DOCUMENTS.** By Charles Johnson. 6d. net.

No. 6. **THE LOGIC OF HISTORY.** By C. G. Crump. 8d. net.

No. 7. **DOCUMENTS IN THE PUBLIC RECORD OFFICE, DUBLIN.** By R. H. Murray, Litt.D. 8d. net.

No. 8. **THE FRENCH WARS OF RELIGION.** By Arthur A. Tilley, M.A. 6d. net.

BY SIR A. W. WARD, Litt.D., F.B.A.:—

No. 9. **THE PERIOD OF CONGRESSES, I.** Introductory. 8d. net.

No. 10. **THE PERIOD OF CONGRESSES, II.** Vienna and the Second Peace of Paris. 1s. net.

No. 11. **THE PERIOD OF CONGRESSES, III.** Aix-la-Chapelle to Verona. 1s. net. (Nos. 9, 10, and 11 in one volume, cloth 3s. 6d. net.)

No. 12. **SECURITIES OF PEACE.** A Retrospect (1848—1914). Paper 2s.; cloth 3s. net.

[*Continued on p.* 3.

TEXTS FOR STUDENTS. No. 12

SCHOOL SERIES.

GENERAL EDITORS: CAROLINE A. J. SKEEL, D.LIT.; H. J. WHITE, D.D.; J. P. WHITNEY, D.D., D.C.L.

SELECTIONS FROM THE "HISTORIA RERUM ANGLICARUM" OF WILLIAM OF NEWBURGH

BY

CHARLES JOHNSON, M.A.

LONDON
SOCIETY FOR PROMOTING CHRISTIAN KNOWLEDGE
NEW YORK: THE MACMILLAN CO.
1920

DA 209 .W72

CONTENTS

PAGE

INTRODUCTION - - - - - - - - v

SELECTIONS FROM THE "HISTORIA RERUM ANGLICARUM" OF WILLIAM OF NEWBURGH

DEDICATION TO ERNALD, ABBOT OF RIEVAULX - - - 7

PREFACE. CRITICISM OF GEOFFREY OF MONMOUTH - - 8

BOOK I.

CHAPTER

XIV. THURSTAN, ARCHBISHOP OF YORK. FOUNDATION OF RIEVAULX AND FOUNTAINS ABBEYS - - - 13

XV. FOUNDATION OF BYLAND ABBEY (A.D. 1134-1148) - 14

XIX. STORY OF EÒN DE L'ETOILE (A.D. 1148) - - 16

XXIV. WIMUND, BISHOP OF SODOR AND MAN (A.D. 1109-1151) 19

XXVI. HUGH, BISHOP OF DURHAM, AND WILLIAM, ARCHBISHOP OF YORK (A.D. 1153-1154) - - - - 21

XXVIII. THE INTERMITTENT SPRING - - - - 24

BOOK II.

V. ACCOUNT OF WALES AND THE WELSH - - - 24

XX. LIFE OF ST. GODRIC (A.D. 1170) - - - 25

XXI. KETELL AND THE DEVILS - - - - 27

XXVI. ACCOUNT OF IRELAND - - - - - 29

BOOK III.

VI. SVERRIR, KING OF NORWAY (A.D. 1177-1194) - - 30

XXVI. CHARACTER OF HENRY II. (A.D. 1154-1189) - - 34

135006

BOOK IV.

CHAPTER PAGE

X. FATE OF THE JEWS IN YORK CASTLE (A.D. 1190) - 37

XIV. INSOLENCE OF LONGCHAMP (A.D. 1190) - - - 40

XLI. RETURN OF RICHARD I. (A.D. 1194) - - - 44

BOOK V.

IV. INSTITUTION OF TOURNAMENTS (A.D. 1194) - - 45

VI. STEPHEN DE TURNHAM AND THE DEVIL (A.D. 1193) - 46

IX. THE PILGRIM AND THE DEVIL (A.D. 1195 ?) - - 48

X. CHARACTER OF HUGH, BISHOP OF DURHAM (A.D. 1195) - 49

XIX. DEATH OF THE ABBOT OF CAEN (A.D. 1196) - - 52

XX. LONGBEARD'S CONSPIRACY (A.D. 1196) - - - 53

XXV. THE MOCK SUN (A.D. 1196) - - - - 57

XXXIII. DANGERS OF CHOKE-DAMP (A.D. 1197) - - - 57

NOTES - - - - - - - 60

GLOSSARY. - - - - - 62

INTRODUCTION

WILLIAM, a Canon of the Augustinian priory of Newburgh, near Coxwold, was born in the first year of Stephen (A.D. 1136), in all probability at Bridlington. He entered the priory as a boy, and does not seem ever to have travelled far from it. He began writing his "History" between the election of Ernald, Abbot of Rievaulx in A.D. 1189, and the resignation of Roger, Abbot of Byland in A.D. 1196, and carried it on to A.D. 1198, the presumed date of his death. His weak health disqualified him for more active occupations, while his reading and his literary ability fully warranted his friend Ernald, Abbot of the neighbouring Cistercian house of Rievaulx, in urging him to undertake the congenial task of writing a history. He quotes Virgil and Horace, and had read Cicero and Livy, as well as St. Gregory and St. Augustine and translations of Eusebius and Josephus He had studied the history of England in the works of Gildas, Bede, Symeon of Durham, Henry of Huntingdon, Jordan Fantosme, and Richard, Canon of Holy Trinity, London, whose *Itinerarium Regis Ricardi* he summarizes. To these must be added a lost work, also used by Howden and Coggeshall, which Mr. Howlett identifies as the narrative of Anselm, chaplain to Richard I.

William's history, except for the period A.D. 1154-1173, is mainly a compilation from these authorities, with the addition of his own comments and of the stories which he gleaned from the travellers who passed over the Cleveland Hills between York and the mouth of the Tees, or from those who had

entered religion in his own house or the adjacent abbeys of Rievaulx and Byland after active lives in the world. Some of these narratives are included in this Selection, which makes no attempt to give the gist of the history of the period.

We can picture our author leading a quiet, perhaps even an invalid life, reading or writing on the sunny side of the cloister of his own house, or visiting the libraries of the neighbouring abbeys and of the cathedral at York, when daylight served and the weather was warm enough, or sitting by the fire in the guest-house talking politics and listening to travellers' tales. But his main interest for us lies in the character of his own mind. He was no mere copyist; he had a style of his own which transformed his materials so much that he seldom repeats the words of the authority which he follows. Moreover, he reflected on what he read, and his strictures on the romances of Geoffrey of Monmouth show that he was capable of sound historical criticism, in which he was some centuries before his time. Not less striking, to a modern reader, is the credulity with which he repeats the marvellous legends which he heard from his neighbours. But it must be remembered that the stories which he relates are such as were at that time generally accepted on the authority of eye-witnesses, and, as the experience of our own age sufficiently proves, there is no limit to what will be believed, even by men of the highest intelligence, when a class of phenomena is exempted from the ordinary canons of scientific criticism. Thus, William tests historical statements by sound historical rules, but has no canons to apply to what is frankly recognized as supernatural.

The text of these Selections is borrowed, by permission of the Right Hon. the Master of the Rolls, from Mr. Richard Howlett's "Chronicles of the Reigns of Stephen, Henry II., and Richard I." (London, 1884-1885), and this account of the author and his work is based on the prefaces to those volumes.

CHARLES JOHNSON.

SELECTIONS FROM THE "HISTORIA RERUM ANGLICARUM" OF WILLIAM OF NEWBURGH

Dedication to Ernald, Abbot of Rievaulx.

Reverendo patri et domino Ernaldo, abbati Rievallis, suus Willelmus, servorum Christi minimus, cum apparuerit Princeps pastorum immarcescibilem percipere gloriæ coronam. Literas sanctitatis vestræ suscepi, quibus mihi studium et operam rerum memorabilium, quæ nostris temporibus copiosius provenerunt, ad notitiam cautelamque posterorum conscribendarum dignatur ingerere; cum ex illo venerabili filiorum vestrorum collegio plures vobis suppetant, qui hoc opus commodius valeant atque elegantius adimplere. Sed, ut video, pia prudentia vestra propriis filiis, circa observantiam militiæ regularis sudantibus, in hac parte ducens parcendum, indultum misericorditer infirmitati meæ otium non patitur esse otiosum. Et quidem vestræ circa me dignationi tanta sum devotione astrictus, ut, etiam si fortiora jubeatis, non audeam contraire. Nunc autem cum cauta discretio vestra, non altis scrutandis, mysticisque rimandis insistere, sed in narrationibus historicis præcipiat spatiari ad tempus, tanquam pro quadam ex facilitate operis recreatione ingenii, multo magis excusandi mihi occasio tollitur. Itaque in adjutorio Dei et Domini nostri, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri, fretus orationibus vestris, et sanctorum filiorum vestrorum, qui præcepto sanctitatis vestræ suas non contemnendas preces dignati sunt sociare, opus injunctum aggrediar; pauca sane, quæ ad rem pertinent, ante historiæ ingressum prælibans.

Explicit Epistola.

Preface. Criticism of Geoffrey of Monmouth.

HISTORIAM gentis nostræ, id est, Anglorum, venerabilis presbyter et monachus Beda conscripsit. Qui nimirum, præsumpto altius exordio, ut ad id quod specialiter intendebat competentius accederet, etiam Britonum, qui nostræ insulæ primi incolæ fuisse noscuntur, celebriora subtili brevitate gesta perstrinxit.

Habuit autem gens Britonum ante nostrum Bedam proprium historiographum Gildam, quod et Beda testatur, quædam ejus verba suis literis inserens: sicut ipse probavi, cum ante annos aliquot in ejusdem Gildæ librum legendum incidissem. Cum enim sermone sit admodum impolitus atque insipidus, paucis eum vel transcribere vel habere curantibus, raro invenitur. Integritatis tamen ejus non leve documentum est, quia in veritate promenda propriæ genti non parcit, et cum admodum parce bona de suis loquatur, multa in eis mala deplorat; nec veretur, ut verum non taceat, Brito de Britonibus scribere, quod nec in bello fortes fuerint, nec in pace fideles. At contra quidam nostris temporibus, pro expiandis his Britonum maculis, scriptor emersit, ridicula de eisdem figmenta contexens, eosque longe supra virtutem Macedonum et Romanorum impudenti vanitate attollens.

Gaufridus hic dictus est, agnomen habens Arturi, pro eo quod fabulas de Arturo, ex priscis Britonum figmentis sumptas et ex proprio auctas, per superductum Latini sermonis colorem honesto historiæ nomine palliavit: qui etiam majori ausu cujusdam Merlini divinationes fallacissimas, quibus utique de proprio plurimum adjecit, dum eas in Latinum transfunderet, tanquam authenticas et immobili veritate subnixas prophetias, vulgavit. Et hunc quidem Merlinum patre incubo dæmone ex femina natum fabulatur, cui propterea tanquam patrissanti excellentissimam atque latissimam tribuit præscientiam futurorum: cum profecto et veris rationibus et sacris literis doceamur dæmones, a luce Dei seclusos, futura nequaquam contem-

plando præscire : sed quosdam futuros eventus ex signis sibi quam nobis notioribus, conjiciendo magis quam cognoscendo colligere. Denique in suis quamvis subtilioribus conjecturis sæpe falluntur et fallunt : cum tamen per divinationum præstigias apud imperitos, quam utique non habent, præscientiam sibi arrogent futurorum. Sane divinationum Merlini perspicua fallacia est in his quæ in regno Anglorum contigisse noscuntur post mortem prænominati Gaufridi, qui divinationum illarum nenias ex Britannico transtulit ; quibus, ut non frustra creditur, ex proprio figmento multum adjecit. Porro ad ea, quæ vel ante ipsum vel in diebus ejus evenerunt, taliter sua, quod utique facile poterat, temperavit figmenta, ut congruam possent interpretationem recipere. Prætcrea in libro suo, quem Britonum historiam vocat, quam petulanter et quam impudenter fere per omnia mentiatur, nemo nisi veterum historiarum ignarus, cum in librum illum inciderit, ambigere sinitur. Nam qui rerum gestarum veritatem non didicit, fabularum vanitatem indiscrete admittit. Omitto quanta de gestis Britonum ante Julii Cæsaris imperium homo ille confinxerit, vel ab aliis conficta tanquam authentica scripserit. Omitto quæcunque in laudibus Britonum contra fidem historicæ veritatis deliravit, a tempore Julii Cæsaris, sub quo Britones ditionis Romanæ esse cœperunt, usque ad tempus Honorii imperatoris, sub quo Romani a Britannia, propter urgentiora Reipublicæ negotia, sponte recesserunt.

Certe Britones, Romanis rcccdcntibus, sui juris effecti, immo ad suam perniciem sibi relicti, Pictisque et Scottis ad prædam expositi, regem Vortigirnum habuisse leguntur ; a quo ad tuitionem regni invitati Saxones vel Angli, duce Hengisto, Britanniam venerunt ; irruptiones barbaricas pro tempore depulerunt ; postea vero explorata insulæ fertilitate, et indigenarum inertia, rupto fœdere, in ipsos, a quibus fuerant invitati, arma verterunt ; quibus paulatim profligatis, miseras eorum reliquias, quæ nunc Walenses vocantur, inviis montibus et saltibus coarctarunt. Habueruntque per seriem successionis reges fortissimos et late dominantes : e quibus fuere Ethelbertus, Hengisti pronepos, qui protenso a Gallico mari

usque ad Humbrum imperio, lene Christi jugum, Augustino prædicante, suscepit: Ailfridus qui, Nothanhumbranis præsidens, Britones simul et Scottos vasta cæde perdomuit: Edwinus qui, Ailfrido succedens, Anglis simul et Britonibus præfuit: Oswaldus ejus successor, qui cunctis Britanniæ populis imperavit. Hæc cum juxta historicam veritatem a venerabili Beda expositam constet esse rata; cuncta, quæ homo ille de Arturo et ejus vel successoribus vel, post Vortigirnum, prædecessoribus scribere curavit, partim ab ipso, partim et ab aliis constat esse conficta; sive effrenata mentiendi libidine, sive etiam gratia placendi Britonibus, quorum plurimi tam bruti esse feruntur, ut adhuc Arturum tanquam venturum exspectare dicantur, eumque mortuum nec audire patiantur. Denique Vortigirno facit succedere Aurelium Ambrosium, devictis expulsisque Saxonibus, quos Vortigirnus accersierat, in tota Britannia egregie imperantem; illique dat successorem Uthcrpendragon fratrem ejus, non impari potentia gloriaque regnantem: plura de Merlino suo profusa mentiendi libertate interserens. Defuncto quoque Utherpendragon facit succedere Arturum filium in regno Britanniæ, a Vortigirno quartum; sicut noster Beda ponit Ethelbertum, Augustini susceptorem, in regno Anglorum ab Hengisto quartum. Itaque regnum Arturi et ingressus in Britanniam Augustini concurrere debuerunt. Sed quantum mera historiæ veritas hoc loco compositæ præjudicet falsitati, vel lippienti mentis acie clare videri potest. Ipsum autem Arturum facit præclarum et spectabilem super omnes homines, tantumque illum in gestis vult esse, quantum sibi libuit fingere. Denique in primis facit eum de Anglis, Pictis, et Scottis ad libitum triumphare: deinde Hiberniam, Orchades, Gothiam, Noricam, Daciam, partim bello, partim etiam solo terrore nominis, ditioni suæ subjugare. His quoque addit Islandiam, quæ ultima Thule secundum quosdam dicitur; ut ad Britonem illum in veritate spectare videatur, quod Augusto Romano a poeta nobili adulatorie dicitur:

. . . tibi servict ultima Thule.

Deinde facit eum bello pulsare Gallias, et de ipsis in brevi subactis felicissime triumphare ; quas Julius Cæsar cum summis periculis atque laboribus annis decem vix potuit subjugare : scilicet, ut minimus digitus hujus Britonis grossior videatur lumbis magni Cæsaris. Post hæc cum triumpho multiplici reducit eum in Britanniam, et facit eum cum subactis regibus et principibus festum celebrare famosissimum ; præsentibus tribus Britonum archiepiscopis, scilicet Lundoniarum, Urbis legionum, Eboracæ : cum ne unum quidem archiepiscopum unquam habuerunt Britones. Primus enim Augustinus, accepto a Romano pontifice pallio, archiepiscopus in Britannia factus est. Barbaræ vero nationes Europæ, etiam olim ad fidem Christi conversæ, contentæ episcopis, de pallii prærogativa non curabant. Denique Hibernienses, Norici, Daci, Gothi, cum olim Christiani fuisse et episcopos habuisse noscantur, nostris temporibus archiepiscopos habere cœperunt. Inde fabulator ille, ut suum Arturum ad summum evehat, facit eum Romanis bellum indicere ; ante hoc bellum singulari certamine miræ magnitudinis gigantem prosternere ; cum post Davidica tempora de nullo gigante legatur. Consequenter, profusiori mentiendi licentia, facit adversus eum convenire cum Romanis reges magnos orbis terrarum, scilicet, Græciæ, Africæ, Hispaniæ, Parthorum, Medorum, Iturææorum, Libyæ, Ægypti, Babyloniæ, Bithyniæ, Phrygiæ, Syriæ, Bœotiæ, Cretæ ; omnesque refert uno prœlio ab illo devictos : cum Alexander ille Magnus et omnibus seculis clarus, per annos duodecim in quibusdam tantorum regnorum principibus superandis sudaverit. Profecto minimum digitum sui Arturi grossiorem facit dorso Alexandri Magni, præsertim cum, ante hanc victoriam de tot magnis regibus, faciat eum commemorare suis in concione subactionem triginta regnorum, a se et illis jam factam At non inveniet fabulator noster tot regna in orbe nostro, præter regna memorata, quæ utique nondum ille subegerat. An alium orbem somniat infinita regna habentem, in quo ea contigerunt, quæ supra memoravit? Quippe in orbe nostro nunquam talia contigerunt. Quomodo enim historiographi veteres, quibus ingenti curæ fuit nihil memorabile

scribendo omittere, qui etiam mediocria memoriæ mandasse noscuntur, virum incomparabilem, ejusque acta supra modum insignia, silentio præterire potuerunt? Quomodo, inquam, vel nobiliorem Alexandro Magno Britonum monarcham Arturum, ejusque acta, vel parem nostro Esaiæ Britonum prophetam Merlinum, ejusque dicta, silentio suppresserunt? Quid enim minus in præscientia duntaxat futurorum tribuit suo Merlino, quam nos nostro Esaiæ: nisi quod ejus vaticiniis non audet inserere, "hæc dicit Dominus," et erubuit inserere, "hæc dicit diabolus;" quippe hoc debuit congruere vati, incubi dæmonis filio. Cum ergo nec tenuem de his veteres historici fecerint mentionem, liquet a mendacibus esse conficta quæcunque de Arturo atque Merlino, ad pascendam minus prudentium curiositatem, homo ille scribendo vulgavit. Et notandum, quod eundem Arturum postea refert in bello letaliter vulneratum, regno disposito, ad curanda vulnera sua abiisse in illam, quam Britannicæ fingunt fabulæ, insulam Avallonis: propter metum Britonum non audens eum dicere mortuum, quem adhuc vere bruti Britones exspectant venturum. De successoribus vero Arturi pari impudentia mentitur; tribuens eis usque ad septimam fere generationem Britanniæ monarchiam: faciensque eorum subregulos et ministros, quos venerabilis Beda fortissimos dicit fuisse reges Anglorum, universæ Britanniæ nobiliter imperantes. Ut ergo eidem Bedæ, de cujus sapientia et sinceritate dubitare fas non est, fides in omnibus habeatur; fabulator ille cum suis fabulis incunctanter ab omnibus respuatur. Sane post Bedam non defuere, qui ab ipso seriem temporum atque eventuum nostræ insulæ ad nostram usque memoriam ducerent; illi quidem minime comparandi; pro religiosa tamen opera et fideli, quanquam minus diserta narratione, laudandi. Nostris autem temporibus tanta et tam memorabilia contigerunt, ut modernorum negligentia culpanda merito censeatur, si literarum monumentis ad memoriam sempiternam mandata non fuerint. Et forte hoc opus ab aliquo, sive aliquibus, jam vel inchoatum est, vel patratum: sed tamen viri venerabiles, quibus mos gerendus est, hoc ipsum meæ parvitati dignantur

injungere ; ut et ego, quia cum divitibus non possum, saltem cum paupercula vidua aliquid de tenuitate mea mittam in gazophylacium Domini.

Quoniam vero Anglicanæ ordinem historiæ a quibusdam usque ad decessum regis Henrici primi novimus esse deductum; sumpto ab adventu Normannorum in Angliam exordio, media tempora succincte percurram; ut a successore ejusdem Henrici Stephano, cujus anno primo ego Willelmus servorum Christi minimus et in Adam primo ad mortem sum natus, et in Secundo ad vitam renatus, narrationem, Deo volente, incipiam producere pleniorem.

BOOK I.

Chapter XIV.

Thurstan, Archbishop of York. Foundation of Rievaulx and Fountains Abbeys.

Dum in regno Angliæ talia provenirent, sanctæ recordationis Turstinus Eboracensis archiepiscopus, post laudabilem annis plurimis administrationem officii, et præclara pietatis opera, cum jam fere expletum militiæ suæ tempus esse sentiret, relicto honore et excusans ab onere, cum monachis Cluniacensibus apud Pontem-fractum ultimos vitæ suæ dies exegit, et appositus est ad patres suos in senectute bona. Cujus, inter cetera bona quæ operatus est, pio studio et religiosæ industriæ potissimum attribuenda est fundatio atque provectio celeberrimi monasterii Fontanensis; cujus memorandi operis talis fuisse occasio perhibetur. Quidam Eboracensis cœnobii monachi, numero duodecim vel tredecim, ferventes spiritu, et scrupulosam habentes conscientiam, dum acutius inspicerent quod juxta traditiones, vel Cluniacenses vel alias consimiles, religiosam quidem vitam ducerent, sed beati Benedicti regulam, quam profitebantur, minus ad literam observarent, aliquid melius fortiusque acturi, nam Cistertiensis ordinis, qui nuper esse cœperat, fama jam celebris erat, suum monasterium

reliquerunt. Quorum studium zelumque venerabilis Turstinus amplexus, egressos paterne suscepit, maternæ pietatis sinu fovit, et in suis penetralibus pro tempore occultatos, donec eis, prout animo conceperat, provideret, tandem in loco pascuæ collocavit. Et vocatur locus ille, Fontes: ubi ex tunc et deinceps, tanquam de fontibus Salvatoris, tam multi hauserunt aquas salientes in vitam æternam.

Sane paulo ante a nobili viro Waltero Espec invitati, et a felicis memoriæ abbate Bernardo directi, monachi Clarevellenses in Eboracensem provinciam venerant, et in loco qui nunc dicitur Rievallis, tunc autem locus erat horroris, et vastæ solitudinis, mansionem acceperant, præfato viro tradente, et venerabili Turstino episcopalem cum affectu paterno favorem præbente. Horum exemplo monachi illi Eboracenses incitati, atque ad arripienda fortiora animati, memorati abbatis, cujus memoria in benedictione est, magisterio se tradiderunt, et, distincti locis non animis, hi et illi arctam viam quæ ducit ad vitam paribus votis et studiis infatigabiliter currere cœperunt. Benedixitque eis Dominus "benedictionibus cœli desuper, "benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus "uberum vellerumque"; ut non solum in Omnipotentis Dei servitio copiosam multitudinem aggregarent, sed etiam largioribus eleemosynis in pauperes dispergendis sufficerent. Quod autem Domino Christo tanquam apes argumentosæ servierint, ex fructibus eorum cognoscitur, numerosis scilicet sanctorum collegiis, quæ ex se, tanquam quædam rationalium apum examina, emiserunt, et non solum per Anglicanas provincias verum etiam in barbaras nationes sparserunt.

Chapter XV.

Foundation of Byland Abbey (A.D. 1134-1148).

Quia vero duorum insignium monasteriorum nostræ, id est, Eboracensis provinciæ, scilicet Rievallis et Fontium feci, ut decuit, mentionem, Bellalandæ quoque originem debeo explicare, quæ ex loci propinquitate mihi est notior; nam uno

tantum milliario distat a Neuburgensi ecclesia, quæ me in Christo a puero aluit. Ut autem paullo altius exordiar: in transmarinis partibus, sicut a majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuere, scilicet Robertus qui agnominatur de Arbusculo, Bernardus, et Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi et spiritu ferventes circuibant per castella et vicos, seminantesque secundum Ysaiam super omnes aquas, de conversione multorum fructus uberes colligebant: pio inter se placito constituto, quod Robertus quidem feminarum communi labore ad meliora conversarum sollicitudinem gereret; Bernardus vero et Vitalis maribus propensius providerent. Robertus itaque famosissimum illud monasterium feminarum de Fonte Ebraudi construxit, et regularibus disciplinis informavit: Bernardus vero apud Tirocinum et Vitalis apud Saviniacum, monachis regulariter institutis, suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietates distinxit. Cumque ex his tribus quasi radicibus servorum atque ancillarum Dei per diversas provincias religiosa germina pullularent, quidam Saviniacenses monachi Bellalandam nostram condiderunt. Qui cum essent in initio pauci et pauperes, locumque aptum quærerent, ubi, Deo propitio, cum fructu aliquo habitarent; nobili viro Rogerio de Moubrai, qui et Neuburgensem fundavit ecclesiam, donante, locum prius angustum acceperunt; deinde ad locum alium, et de illo ad tertium, et de tertio ad quartum, sub eodem patrono, diversis ex causis migrantes, ibidem fixis tandem radicibus resederunt. Benedixitque eis Dominus, et de rebus angustis ad magnam jam amplitudinem pervenerunt sub patre Rogerio, mirandæ sinceritatis viro, qui adhuc superstes est, in senecta uberi, administrationis suæ annis circiter quinquaginta et septem expletis. Fuit autem monasterii hujus initium post venerabilis Turstini decessum; memoratis duobus, scilicet Rievallis et Fontium, in bono jam statu agentibus. Et quoniam ante annos jam plurimos Saviniacenses per cujusdam abbatis religiosam instantiam in ritus Clarevallenses transierunt; hæc tria monasteria per unitatem disciplinæ regularis, arctiori quoque animorum nexu cohærent,

et tanquam tria nostræ provinciæ lumina, sacræ religionis prærogativa refulgent. Quid autem scntiendum est de his et aliis locis religiosis, quæ in diebus regis Stephani copiosius exstrui vel florere cœperunt, nisi quod castra Dei sunt hæc, in quibus, contra spiritualia nequitiæ, Regis Christi excubant milites et exercentur tirones? Eo quippe tempore, cum regiæ potentiæ omnis jam vigor deperiisset, potentes regni, prout quisque poterat, vel ut suos tutarentur, vel ut alienos fines pervaderent, munitiones construebant. Malis ergo sic pullulantibus atque abundantibus per mollitiem regis Stephani, vel potius per malitiam discordias semper nutrientis diaboli, superabundavit et gloriose eminuit sapiens et salubris provisio Regis Magni, qui nimirum tunc temporis solito propensius ad debellandum regem superbiæ, quales Regem Pacificum decent munitiones sibi noscitur exstruxisse. Denique multo plura sub brevitate temporis, quo Stephanus regnavit, vel potius nomen regis obtinuit, quam centum retro annis servorum et ancillarum Dei monasteria initium in Anglia sumpsisse noscuntur.

Chapter XIX.

Story of Eon de l'Etoile (A.D. 1148).

Circa idem tempus Eugenius papa Romanus, ad sedis Apostolicæ regimen ex vitæ regularis districtione assumptus, ecclesiasticæ studio disciplinæ in Gallias veniens, generale concilium instituit Remis. In quo dum sederet cum omni frequentia episcoporum atque nobilium, oblatus est ei quidam vir pestifer, qui, spiritu plenus diabolico, præstigiali astutia tam multos seduxerat, ut fretus sequentium numero, per diversa loca formidabilis oberrarct; ecclesiis maxime monasteriisque infestus. Diu itaque multumque debacchatus, tandem sapientia vincente malitiam a Remensi archiepiscopo captus est, et sancto concilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella; homo illiteratus et idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, ut quoniam sermone Gallico Eun diceretur, ad suam personam pertinere crederet,

quod in ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet, "per Eum qui "venturus est judicare vivos et mortuos, et seculum per "ignem." Ita plane fatuus ut Eum et Eun nesciret distinguere, sed supra modum stupenda cæcitate crederet se esse dominatorem et judicem vivorum et mortuorum. Eratque per diabolicas præstigias tam potens ad capiendas simplicium animas ut, tanquam ex muscis aranearum opere irretitis, seductam sibi multitudinem aggregaret: quæ tota illum tanquam dominum dominorum individue sequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diversas provincias ferebatur; interdum vero morabatur cum suis omnibus in locis desertis et inviis, indeque instigante diabolo erumpebat improvisus, ecclesiarum maxime ac monasteriorum infestator. Accedebant ad eum plerumque noti ejus et propinqui, erat enim non infimi generis; sive ut eum familiari ausu corriperent, sive ut quomodo se circa eum res haberet cautius explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus fastusque regius, et qui cum eo erant, sollicitudinis laborisque expertes, pretiose indui, splendide epulari, et in summa lætitia agere videbantur: in tantum ut plerique, qui ad corripiendum eum venerant, conspecta ejus non vera sed fantastica gloria, corrumperentur. Fiebant enim hæc fantastice per dæmones; a quibus scilicet misera illa multitudo, non veris et solidis, sed aeriis potius cibis in locis desertis alebatur. Nam, sicut postmodum per quosdam audivimus qui in ejus fuerant comitatu, eoque sublato tanquam agentes pœnitentiam per orbem vagabantur, in promptu eis erant, quotiescunque volebant, panes, carnes, et pisces, et quique cibi lautiores. Verum quod iidem cibi non solidi sed aerii fuerunt, subministrantibus invisibiliter spiritibus aeris hujus, ad capiendas magis quam pascendas animas, hinc elucet, quod quantamcunque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitio sequebatur, tanta mox succedente esurie ut eosdem cibos illico repetere cogerentur. Quicunque autem forte ad eos accedens ex cibis eorum vel modicum gustasset, ex participatione mensæ dæmoniorum mente mutata spurcissimæ multitudini continuo adhærebat; et quicunque ab eis aliquid in qualibet specie

accepisset, periculi expers non erat. Denique fertur quendam militem propinquum illius pestiferi accessisse ad eum, et simpliciter monuisse, ut, abjurata nefanda secta illa, per communionem Christianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem astute suspendens, ostendit ei in multiplici specie fantasticarum opum amplitudinem; ut blandiente visarum rerum illecebra caperetur. "Propinquus," inquit, "noster "es: sume de nostro, quod et quantum vis." Verum homo prudens cum verba correptionis in ventum fudisset, exivit ut abiret. Armiger vero ejus conspectum miræ pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupivit. Quo petito et accepto, dominum suum jam abeuntem cum lætitia sequebatur. Cui ille, "Abjice," inquit, "cito quod portas, non enim est "avis, ut videtur, sed dæmon sic transformatus." Cujus verbi veritas post modicum claruit. Cum enim insipiens nollet audire monentem, primo conquestus quod accipiter ille unguibus sibi pugnum fortius stringeret, mox ab eodem per manum in aerem sublevatus deinceps non comparuit. Sane cum pestifer ille per operationem Sathanæ ita debaccharetur ut dictum est, sæpius a principibus ad vestigandum et persequendum eum exercitus frustra mittebatur; quæsitus enim non inveniebatur. Tandem vero fraudatus ope dæmonum, cum non amplius per illum debacchari sinerentur (non enim amplius possunt quam a superioribus potestatibus justo Dei judicio relaxantur), levi negotio a Remensi archiepiscopo comprehensus est; et populus quidem stolidus, qui eum sequebatur, dilapsus est. Porro discipuli, qui ei arctius adhærebant, ejusque cooperatores exstiterant, cum ipso capti sunt. Cum ergo staret in conspectu concilii, interrogatus a summo pontifice quisnam esset, respondit: "Ego sum Eun, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et seculum per ignem." Habebat autem in manu sua baculum inusitatæ formæ, in superiori scilicet parte bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille; "Res," inquit, "grandis mysterii est. "Quamdiu enim, sicut nunc videtis, duobus cœlum capitibus "suspicit, duas orbis partes Deus possidet, tertiam mihi "partem cedens. Porro si eadem duo superiora capita baculi

"humiliem usque ad terram, et inferiorem ejus partem, quæ "simplex est, erigam, ut cœlum suspiciat, duabus mundi parti- "bus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relin- "quam." Ad hæc risit universa synodus, derisitque hominem tam profunde datum in reprobum sensum. Jussus autem ex decreto concilii, ne pestis iterum serperet, diligenter custodiri, tempore modico supervixit. Discipuli vero ejus quos magnis insignierat nominibus, alium scilicet vocans "Sapientiam," alium "Scientiam," alium "Judicium," et in hunc modum ceteros; cum sanam doctrinam nulla ratione reciperent, sed potius obstinatissime de falsis gloriarentur vocabulis, in tantum, ut ille qui "Judicium" dicebatur, suis detentoribus ultricem infelici fiducia comminaretur sententiam; curiæ prius, et postea ignibus traditi, ardere potius quam ad vitam corrigi maluerunt. Audivi a quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quod audierit illum, qui "Judi- "cium" dicebatur, cum ad supplicium duceretur, crebro dicentem, "Terra finde te;" tanquam ad oris ejus imperium terra aperienda esset, et devoratura, sicut Dathan et Abiron, hostes ejus. Tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit.

Chapter XXIV.

Wimund, Bishop of Sodor and Man (A.D. 1109-1151).

Idem obscurissimo in Anglia loco natus, cum perceptis literarum rudimentis non haberet unde in scholis subsisteret, artis scriptoriæ sciolus, quibusdam religiosis antiquarii officium pro toleranda inopia impendebat. Deinde apud Furnesium tonsoratus et regularem vitam professus, cum nactus esset scripturarum copiam cum otio competenti, adjutus triplici bono, scilicet acri ingenio, illabili memoria, apto eloquio, ita in brevi profecit, ut magnæ spei esse videretur. Evolutis diebus in insulam Man cum fratribus missus, suavitate eloquii et jocunditate faciei, cum esset etiam producto et robusto corpore, ita barbaris placuit ut ab eis in episcopum peteretur, et eorum quidem completum est desiderium. Mox ex successu intumuit

et grandia moliri cœpit. Nec contentus episcopalis dignitate officii, animo jam ambulabat in magnis et mirabilibus super se; eratque ei cum corde vanissimo, os loquens ingentia. Denique congregans viros inopes et audaces, judicium veritatis non veritus, proposuit se esse filium comitis Muravensis, hereditate patrum suorum a rege Scottorum spoliatum, cordi sibi esse non solum jus suum prosequi, sed etiam ulcisci injurias, illos se velle habere periculi et fortunæ consortes, rem quidem esse aliquanti laboris et periculi, sed magnæ claritatis, et plurimi emolumenti. Accensis ergo omnibus, atque in verba ejus jurantibus, per vicinas cœpit insulas ferociter debacchari, eratque jam quasi Nembroth robustus venator coram Domino, dedignatus juxta episcopalis officii debitum hominum esse piscator cum Petro. Augebatur indies satellitum copiis, inter quos nimirum ipse eminens fere ab humero et sursum, tanquam dux magnus omnium animos accendebat. Excurrebat in provincias Scotiæ, rapinis et homicidiis cuncta exterminans. Cumque adversus eum regius exercitus mitteretur, in remotiores se saltus recipiens, vel in oceanum refugiens, omnem illum apparatum bellicum eludebat, et, recedente exercitu, rursum ex locis abditis ad infestandas provincias erumpebat. Cum ergo in omnibus prosperaretur, essetque jam ipsi etiam regi terribilis, quidam episcopus vir simplicissimus ejus impetum mirabiliter ad tempus repressit. Cui cum ille bellum denuntians exterminium minaretur, nisi vectigal penderet: "Voluntas," inquit, "Dei fiat, nam meo "exemplo nunquam aliquis episcopus alterius episcopi fiet "tributarius." Cohortatus ergo populum suum, illi cum furore venienti sola fide major, nam in ceteris longe impar, occurrit, et pro suorum animatione primum ipse belli dans ictum, jactata securi modica, hostem in fronte gradientem Deo volente prostravit. Quo casu confortatus populus, in prædones fortiter irruit, et eorum magna parte cæsa, ducem ferocissimum enerviter fugere compulit. Solebat autem hoc ipse postea inter amicos cum jocunditate narrare tanquam glorians, quod solus cum Deus per simplicis episcopi fidem vincere potuisset. Ego quoque hoc ipsum, quodam qui de numero satellitum ejus

fuerat et cum ceteris qui evasere fugerat, referente cognovi. Resumptis autem viribus per insulas atque provincias Scotiæ debacchabatur ut prius. Quamobrem rex compulsus est placare prædonem, saniori plane usus consilio, ut cum hoste tumido callidoque, cum quo fortiter agi non poterat, sapienter ageretur. Cedens ergo illi quandam provinciam cum monasterio Furnesiensi, excursiones ejus interim suspendit. Cum autem per subditam provinciam tanquam rex vallante exercitu gloriose ferretur, ipsique monasterio, cujus monachus fuerat, supra modum gravis exsisteret, de consensu nobilium insidiati sunt ei quidam provinciales, qui ejus vel potentiam vel insolentiam exosam habebant. Nactique tempus opportunum, cum præmissam ad hospitium multitudinem lento pede et raro stipatus satellite sequeretur, comprehensum vinxerunt utrumque illi oculum, quia uterque nequam erat, eruerunt, causamque virulenti germinis amputantes, eum pro pace regni Scottorum, non propter regnum cœlorum, castraverunt. Qui postea Bellalandam nostram venit, ibique annis plurimis usque ad obitum quietus permansit. Fertur tamen tunc etiam dixisse, quia si vel passeris oculum haberet, inimici ejus de actis in eum minime exsultarent.

Chapter XXVI.

Hugh, Bishop of Durham, and William, Archbishop of York (A.D. 1153-1154).

Ut autem a Scotia paululum regrediar: defuncto Wilelmo de Sanctâ Barbara Dunelmensi episcopo viro religioso, Hugo Eboracensis ecclesiæ thesaurarius propter nobilitatem generis, erat enim propinquus regis Stephani, ad pontificatum Dunelmensis ecclesiæ electus est, venerabili Henrico Eboracensi archiepiscopo, ad quem Dunelmensis episcopi spectabat consecratio, plurimum obnitente, atque obtendente et minus canonicam electi ætatem, et minus probatam morum ejus gravitatem. Ascenderunt ergo majores ex electoribus cum ipso electo ad sedem Apostolicam pro negotio tam electionis

quam consecrationis, jam dicto archiepiscopo pro se responsalem mittente, qui et electioni contrairet, et consecrationem impediret. Sed venerabili Eugenio, qui ejusdem archiepiscopi apud Clarevallem condiscipulus fuerat, ex hac luce paulo ante subtracto, invenerunt Anastasium sedi Apostolicæ præsidentem. Tres quippe viri memorabiles, et in vita sua amicissimi, tempore illo decedentes, in morte quoque brevibus sunt intervallis separati, scilicet Eugenius papa Romanus, Bernardus Clarevallis abbas, Henricus Eboracensis archiepiscopus. E quibus Eugenio et Bernardo prius assumptis, Henricus e vestigio secutus est. Vulgato autem duorum transitu, tertio adhuc superstite, Wilelmus olim Eboracensis archiepiscopus, pui Wintoniæ morabatur, spe recuperationis concepta (nam prior eum deposuerat, secundus ut deponeretur egerat, tertius deposito successerat), sedem Apostolicam celeriter adiit; judicium non accusans, misericordiam humiliter postulavit. Et ecce certus ex Anglia de transitu Eboracensis archiepiscopi nuntius superveniens, verecundissimas ejus preces multum adjuvit. Et quidem Dunelmensis electus, qui prior illuc venerat, a domino papa sollemniter consecratus, illius qui posterior advenerat pendente adhuc fortuna, discessit. Sed tandem et ipse, prioris judicii rigore sublato, Apostolicæ mansuetudinis clementiam expertus est, miserante canos ejus papa cum cardinalibus, et satagente circa ejus negotium maxime quodam Gregorio magni nominis cardinali, homine facundissimo et profundissimæ astutiæ, atque animi vere Romani. Itaque in integrum restitutus, et pallio, quod nunquam eatenus impetrare poterat, insignitus, Sabbato sancto Wintoniam rediit, ibique celebrata sollemnitate Paschali, post Albas ad civitatem propriam properavit. Occurrerunt autem ei extra civitatem minus pacifice Robertus, Eboracensis ecclesiæ decanus, et Osbertus archidiaconus, qui, ut eum a desiderata sede arcerent, propositis capitulis adversus eum fortiter appellarunt. Ille nihilominus progrediens, sollemni occursu et ingenti applausu a clero et populo susceptus est. Prænominati vero ejus adversarii Theobaldum Cantuariensem archiepiscopum, Apostolicas tunc in Anglia vices agentem, concite

adeuntes, ejusdem favore et suffragiis utebantur. Porro ille receptam non multo post Albas Paschales ecclesiam decenti moderamine regens, et ingenita lenitate nulli onerosus existens, paucis post Pentecosten evolutis diebus febre corripitur, et rapitur ex hac vita, ingenti tam clericis quam laicis ex mitissimi pastoris occasu luctu relicto. Sane propter inopinatum ejus transitum a multis creditur veneno exstinctus, asserentibus eum ex sacro calice, per quendam ab adversariis ejus immissum vel pro eis æmulantem infecto, potum mortiferum, quod dictu horrendum est, cum potu vitæ hausisse. At hoc mera quorundam opinio est, quam tamen petulanter velut perspicuam vetitatem sparserunt in vulgus. Denique ego processu temporis, cum fama ista crebresceret, quendam virum magnum et grandævum, Rievallis monasterii monachum, jam valetudinarium et morti vicinum, qui eo tempore Eboracensis ecclesiæ canonicus et memorato archiepiscopo familiaris exstiterat, super hoc cum adjurationibus percunctandum putavi. Qui constanter respondit, hoc esse mendacissimum conceptæ a quibusdam opinionis commentum: se quippe, cum scelus illud attentatum dicitur, præsentem atque archiepiscopo assistentem fuisse; nullo modo malignum quemquam inter circumstantes fidelissimos ad aliquid tale audendum irrepere potuisse. Illud quoque falsum est quod dicunt eum amicis suadentibus antidotum gustare noluisse, cum ab eis hostilis malitia in eum aliquid ausa putaretur; et ad hoc suum vel opinabile vel commentum firmandum ferunt eum dixisse, quod cœlesti antidoto non adjiceret humanum. Quod utique quia vir sapiens fuit, et Deum non esse tentandum divina auctoritate edoctus, nec dixisse nec egisse credendus est. Ad hoc Simphorianum familiarem clericum ejus, qui in ejus obsequio non parvo tempore fuerat, et ægrotanti devotus minister astiterat, audivi dicentem, quod amicis suadentibus antidotum sumpserit, quod utique vir sapiens fecisse credendus est. Ab eodem quoque audivi, amicos qui aderant ob hoc maxime ad putandum quod mortiferum quid biberit fuisse proclives, quia dentes ejus, qui candidi fuerant, in extremo illo incommodo nigrescere

cœperant. At hoc ridetur a medicis, cum dentes hominis morituri passim nigrescere soleant. Porro Eboracensis archiepiscopi morte comperta, Robertus decanus et Osbertus archidiaconus, annitente et cooperante Cantuariensi archiepiscopo Apostolicæ sedis legato, Rogerium ejusdem archidiaconum ad Eboracensis ecclesiæ cathedram elegerunt, magnisque suffragiis atque terroibrus Eboracense capitulum ad consentiendum induxerunt. Et de hoc quidem plenius suo loco dicemus.

Chapter XXVIII.

The Intermittent Spring.

In provincia quoque Deirorum, haud procul a loco nativitatis meæ, res mirabilis contigit, quam a puero cognovi. Est vicus aliquot a mari orientali milliariis distans, juxta quem famosæ illæ aquæ, quas vulgo *Gipse* vocant, numerosa scaturigine e terra prosiliunt, non quidem jugiter, sed annis interpositis, et, facto torrente non modico, per loca humiliora in mare labuntur; quæ quidem cum siccantur signum bonum est, nam earum fluxus futuræ famis incommodum non fallaciter portendere dicitur.

BOOK II.

Chapter V.

Account of Wales and the Welsh.

Sane Walenses reliquiæ Britonum esse noscuntur, qui hujus insulæ, quæ nunc Anglia dicitur, olim Britannia dicebatur, incolæ primi fuere, ejusdemque nationis et linguæ esse probantur cujus et Britones transmarini. Cum autem gens Britonum a supervenientibus Anglorum populis exterminium patereter, qui evadere potuerunt refugerunt in Wallias, contra irruptionem hostium naturæ beneficio tutas, ibique hæc natio perseverat usque in præsentem diem. Regio quippe illa tractu protensiori ad prospectum Hiberniæ super mare occidentale jacens, alio latere regionibus Anglicis jungitur, et fere

tota vel oceano vel inviis saltibus aliisque difficultatibus cingitur; ideoque difficillimos habet accessus, sive ingressus. Introrsus autem inextricabiles quosdam noscitur habere recessus, ita ut quam periculosum est potenti cuilibet eam cum exercitu ingredi, tam impossibile sit eam interius cum exercitu pervagari. Gignit autem pro sui natura homines moribus barbaros, audaces, et infidos, alieni sanguinis avidos, et proprii prodigos, rapinis semper inhiantes, et tanquam transfuso a natura odio genti Anglorum infestos. Habet quidem, pro eo quod saltuosa est, uberrimas alendis pecoribus pascuas; sed plani parum habens, et frugum infecunda, alendis propriis non sufficit filiis sine invecto ex vicinis Angliæ provinciis commeatu. Quem nimirum quoniam sine beneficio vel permissu regis Anglorum habere non potest, ejusdem cogitur ditioni subjacere. Et si forte per latrocinales excursus, a quibus propter effrenatam barbariem vix temperat, eum irritaverit, iram ejus diu non sustinens, cogitur eum placare.

Chapter XX.

Life of St. Godric (A.D. 1170).

Eisdem fere temporibus venerabilis heremita Godricus de Finchala, loco scilicet solitario sic dicto, non longe a civitate Dunelmensi super amnem Wirum, annis maturus et meritis, in Domino requievit. In quo plane cernere erat pium altumque Divinitatis beneplacitum, ad confusionem nobilium et magnorum ignobilia mundi et contemptibilia eligentis. Cum enim idem esset rusticanus et idiota, nihilque sciens nisi Christum Jesum et hunc crucifixum, quod utique quantumlibet obtunsis et rudibus in fidei cunabulis traditur, in ingressu adolescentiæ fervere cœpit spiritu, totisque hausit ossibus ignem, quem Dominus misit in terram. Denique cœlibatum, quem Deo gratum et sublimis esse meriti forte didicerat, devote amplexus, in cibo et potu, in verbo et gestu, homo simplicissimus decentem cum gravitate servare modum studuit. Velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et in ipsa locutione parcissimus. Flere cum flentibus doctus; ridere autem

cum ridentibus, et jocari cum jocantibus nescius. Juvenis sepulchrum Dominicum in multa paupertate, nudis incedendo pedibus, visitavit, reversusque ad propria, locum aptum ubi Deo serviret sollicite quæsivit. Accepitque in somnis, sicut aiunt, ut locum Finchala dictum quæreret, ibidem Deo volente victurus. Quem tandem post multam lustrationem inveniens, ibidem cum sorore paupercula primum, et ea defuncta solus multo tempore habitavit. Vitæ autem ejus districtio fere supra humanum modum fuisse perhibetur. Memoratus quidem locus silvosus est, sed modicam habet planitiem, quam ille fodiendo exercens, fructum ab ea annuum, quo utcunque sustentaretur, exigebat, et quantulamcunque poterat advenientibus exinde caritatem exhibebat. Sane Dunelmensi ecclesiæ mundissimæ vitæ merito commendatus, talem sancti collegii ibidem consistentis circa se providentiam meruit, ut senior monachus, ad hoc ipsum deputatus, crebro eum visitaret, tum pro instructione simplicitatis rusticæ, tum etiam ut sacri participatione mysterii certis diebus muniretur. Diu quidem hostis antiquus hominem simplicissimum insidiando circumvenire tentavit; ubi autem insidias vidit minus procedere, simplicitatem saltem præstigiis curavit illudere. Sed vir Dei hostiles et caute vitavit insidias, et constanter sprevit derisitque præstigias, beatissimo maxime Johanne Baptista, quem specialiter diligebat, crebrius eum visitante, informante, et roborante. Hoc modo usque ad decrepitam vivens ætatem, paucis ante mortem annis senilium defectu membrorum decubuit, et diebus plurimis quantulascunque in moribundo corpore vitæ reliquias modico lactis haustu servavit. Deniquc illis diebus videre eum et alloqui merui, in oratorio proprio juxta sacrum altare jugiter decumbentem. Cumque toto fere corpore quodammodo præmortuus videretur, expedite tamen loquebatur, illa ori ejus familiaria verba, scilicet "Patrem et "Filium et Spiritum Sanctum," sæpius replicans. In vultu autem ejus mira quædam dignitas et decus insolitum visebatur. Transiit ergo senex et plenus dierum, idemque loci spatium ejus nunc tenet corpus, quo vel orans procumbere, vel ægrotus decumbere consueverat vivus.

Chapter XXI.

Ketell and the Devils.

Fuit et alius quidam vir venerabilis in nostra, id est, Eboracensi provincia, apud vicum Farneham dictum, nomine Ketellus. Homo quidem rusticanus, sed innocentiæ et simplicitatis merito singularem quandam a Domino gratiam consecutus. De quo sane plura memorabilia veracium mihi virorum innotuere relatu, e quibus pauca retexam. Idem, cum esset adolescens, quodam die jumento sedens domum revertebatur ex agro. Et ecce in via plana jumentum tanquam in aliquod offendiculum impingens, in terram decidit, et sessorem dejecit. Qui exsurgens vidit duos quasi Æthiopes parvulos sedentes in via, et corridentes. Intellexit esse dæmones non amplius permissos nocere, et gaudentes se vel modicum nocuisse. Accepitque tale donum a Deo, ut ab illa die et deinceps dæmones haberet conspicabiles, et quantumcunque latere cuperent, eum latere non possent Intuebatur eos, ut homines vel in modico læderent oberrantes, et si forte vel modicum læsionis intulissent, exsultantes. Denique hujus sibi gratiæ conscius, cœpit Deo devotus exsistere; orandi studio crebrius secretum captare; esu carnium et lineis abstinere; ecclesiam, quantum vacare poterat, ita frequentare, ut ingrederetur primus et ultimus egrederetur. Cœlibatum amplexus de nuptiis non curavit, usque ad finem vitæ in obsequio positus cujusdam Adæ clerici de Farneham. Accepti muneris secretum tenuit, nec suas passim voluit revelare visiones, nisi forte sacerdoti tanquam confessionis mysterium, aut domino suo, sive alicui sapienti arctius inquirenti. Stabat aliquando præ foribus domini sui circa solis occubitum, viditque decem dæmones, quorum unus major erat, et præesse ceteris videbatur, vicum ingressos. Cumque uno in loco subsisterent, et secum confabularentur, tanquam secreto deliberantes de agendis, major ille cœpit mittere binos per domos. Ipse autem cum uno fores, ubi stabat Ketellus, ingredi voluit. Tum ille, "In nomine," inquit, "Christi interdico vobis januæ

"hujus ingressum, et moram in vico isto: revocate socios "vestros, et abite velociter." Paruere inviti, sacri nominis adjurationem non ferentes, et suas molitiones ab homine animadversas dolentes. Item vidit aliquando dæmones transeuntes cum carro diligenter clauso, et audiebatur foris gemitus inclusorum; porro illi ridebant. Tum ille ad eos, nam solebat impavidus cum hujusmodi spiritibus miscere sermonem, "Quid est," inquit, "hoc?" Et illi, "Animas," inquiunt, "peccatrices deceptas captasque a nobis ad loca pœnalia "ducimus: illæ gemunt, et nos ridemus. Te quoque nobis "tradi optamus, ut etiam super te, cum hostis noster sis, "gratulantius rideamus." Tunc ille, "Abite," inquit, "malignis-"simi; risus vester in luctum vertatur." Contigit autem eum aliquando eorundem pæne hostium sævitiam experiri. Fessus ex agrario opere domum reversus, dum somno gravaretur, sacri se signaculi nequaquam impressione munivit. Dormienti loco solito soli astitere duo dæmones, sævi nimis atque terribiles, et excitatum apprehendentes; "Euge," inquiunt, "Ketelle, incidisti in manus nostras: infestos sentire habes, "quos provocare minime timuisti, quorum mysteria totiens "prodidisti." Ille subito casu attonitus, nomen Christi invocare et signare se voluit, nec valuit. Manus enim et lingua ejus tenebantur, ne sacri se vel signi vel nominis munimine regio tueretur. "Noli," inquiunt, "Ketelle, frustra conari: "manum linguamque tuam ligavimus, ut nihil tibi adversum "nos valeat suffragari." Cumque ita de illo triumphare viderentur, et malum, quod ei facere cogitabant, verbis minacibus atque insultatoriis prævenirent, repente juvenis splendidus bipennem manu ferens introiit, stansque in medio, bipenni molliter digito tacta sonitum ingentem dedit. Quo sonitu exterriti dæmones, relicto de quo triumphare cœperant homine, diffugerunt. Tum accedens juvenis, quem ejusdem hominis angelum fuisse credo; "Ketelle," inquit, "negligentia "tua pæne te periclitari nunc fecit. Cave ne ulterius te in-"veniant insidiantes tibi hostes inermem."

Dicebat autem idem Ketellus esse quosdam dæmones magnos, robustos, et callidos, multumque nocivos si relaxentur

a superiori potestate, quosdam vero parvos ac despicabiles, impotentes viribus et sensu hebetes, omnes tamen pro modulo suo infestos hominibus, multumque lætari, si vel parum illis molestiæ inferant. Vidisse se quosdam tales sedentes secus vias, et facientes offendicula transeuntibus, petulanterque ridentes, cum vel hominem vel jumentum ejus pedes atterere facerent, et maxime si homo, hoc ipsum jumento imputans, maledicto in jumentum calcaribusve sæviret. Porro si homo vel modice turbatus nomen ederet Salvatoris, ut est quorundam consuetudo valde laudabilis, tristes et confusi fugiebant. Aiebat quoque se aliquando domum potationis ingressum vidisse hujusmodi dæmones in specie simiarum, singulos potatoribus singulis in scapula sedentes, illisque potantibus spuentes in phialas, hominumque vecordiam petulanti gestu et ludicris motibus irridentes. Cumque inter potandum preces ex more indicerentur, et nomen Salvatoris insonaret, exterriti exsiliebant, virtutem sacri nominis non ferentes, sed mox, residentibus ad phialas rusticis, rursus introibant sessionem priorem cum motibus solitis repetentes. Sane hic, cui tanta divinitus collata est gratia in animadvertendis nequam spirituum actibus atque insidiis, annis vitæ suæ in multa innocentia et sinceritate expletis, dormivit in Domino, sepultusque est apud Farnaham.

Chapter XXVI.

Account of Ireland.

Est autem Hibernia, ut accepimus, inter insulas secundæ a majori Britannia magnitudinis, sed eadem, ut ait venerabilis Beda, serenitate et salubritate aeris multo præstantior, egregie pabulosa atque piscosa, et glebæ satis uberis, si non desit industria boni cultoris; sed populos habet moribus incultos et barbaros, legum et disciplinæ fere ignaros, in agriculturam desides, et ideo lacte magis quam pane viventes. Hanc autem singularem præ cunctis regionibus habet a natura prærogativam et dotem, ut nullum gignat venenatum animal,

nullum reptile noxium. Cujus utique certa citaque mors est ad primum Hibernici aeris attactum, si forte aliunde advehatur. Porro quicquid inde advehitur, contra venena valere probatum est. Sane hoc quoque de hac insula mirabile est, quod cum major Britannia, æquc oceani insula, nec spatio longiori sejuncta, tantos bellorum casus experta sit, totiens exteris gentibus præda fuerit, totiens externam dominationem incurrerit, expugnata et possessa primo a Romanis, deinde a Germanis, consequenter a Danis, postremo a Normannis; Hibernia, Romanis etiam Orchadum insularum dominantibus inaccessa, raro et tepide ab ulla unquam gente bello pulsata, nunquam expugnata et subacta est, nunquam externæ subjacuit ditioni, usque ad annum a partu Virginis millesimum centesimum septuagesimum primum, qui fuit regis Anglorum Henrici secundi octavus decimus. Quod enim Britones dicunt, eandem insulam suo paruisse Arturo, fabulosum est, sicut et cetera quæ de ipso mentiendi libidine petulantia quorundam confinxit. Quomodo autem Hibernici, incidendo in potestatem regis Anglorum, longam et nunquam a seculo interruptam, et quasi ingenitam finierint libertatem, expositu facile est, cum res sit recentis memoriæ. Denique mutandi status illi vel nationi vel regioni hæc fuisse occasio traditur.

BOOK III.

Chapter VI.

Sverrir, King of Norway (A.D. 1177-1194).

Eisdem temporibus famosissimus ille presbyter Swerus qui cognominatur Birkebain, in ea parte Germaniæ quæ Norwegia dicitur tyrannidem arripuit; et tempore non modico sub tyranni nomine debacchatus, tandem rege terræ illius exstincto, tanquam legitime regnum obtinuit; aliis forte ejusdem terræ regibus non dissimilem exitum judicio Dei habiturus. Quippe, ut dicitur, a centum retro annis, et eo amplius, cum regum ibidem numerosa successio fuerit, nullus eorum senio aut

morbo vitam finivit, sed omnes ferro interiere; suis interfectoribus tanquam legitimis successoribus, regni fastigium relinquentes: ut scilicet omnes, qui tanto tempore ibidem imperasse noscuntur, illud quod scriptum est respiccre videatur, "Occidisti, insuper, et possedisti." Huic infami malo, per longam consuetudinem tanquam legis jam obtinenti vigorem, optimates terræ illius, paulo ante tyrannidem prænominati presbyteri, pio studio mederi volentes, regem novitium sollemniter unctione mystica consecrari et coronari decreverunt, scilicet, ut nemo de cetero auderet manum mittere in christum Domini. Quippe eatenus nullus unquam in gente illa ritu fuerat ecclesiastico consecratus in principem, sed quicunque tyrannice regem occiderat, eo ipso personam et potestatem regiam induebat; suo quoque occisori eandem, post modicum, fortunam, inveteratæ consuetudinis lege, relicturus. Quod nimirum, Christiana quadam simplicitate, a multis putatum est ideo factitari, quia nullus regum priorum regiæ meruerat unctionis sollemnibus initiari. Itaque interfecto Hacone, qui rege Inge a se perempto successerat, cum cuidam puero nomine Magno, ejusdem Inge nepoti, regni successio competere videretur, prudentes et nobiles regni decreto communi eundem puerum sollemniter in christum Domini consecrari, et diademate insigniri fecerunt. Quo facto sancitum sibi principem, et priscæ consuetudinis dedecus abolitum, crediderunt. Verum cum idem Magnus, jam pubes factus in multa strenuitate simul et felicitate per aliquot annos regnasset, cunctis jam æstimantibus contra tyrannicos turbines satis consultum, invidia diaboli, ad perturbandam Christianæ plebis quietem, memoratum presbyterum, tanquam vas proprium, incitavit. Qui cum in sacro ordine, quem in ecclesia acceperat, diuscule ministrasset, propensiore sui fiducia homo audacissimus atque acutissimus regnum cœpit ambire. Mox lustrata omni regione, conceptæ molitionis negotium non segniter exsequens, spe prædarum sollicitatam audacium atque improborum manum sibi validam artificiosissime aggregavit, atque inviis solitudinibus pro munitionibus utens, crebris irruptionibus regem irritavit. Cumque rex eum cum instructo persequeretur

exercitu, ille arte fugam simulans, in quibusdam notis locorum angustiis substitit; ibique regias copias misere circumventas, atque eisdem angustiis impeditas, ita attrivit, ut rex ipse inter mortuorum strages delitescens, abeuntibus hostibus, ægre evaserit. Quo successu elatus, atque indies viribus auctior, classem quoque nactus est, cujus opportunitate in pluribus ejusdem regni debacchabatur provinciis. Rex vero, reparatis viribus et classe instructa, adversus hostem perrexit. Quo ille cognito, fugam quoque tunc callide simulans, in infinitum refugit oceanum. Quod cum regi innotuisset, veram esse prædonis fugam credidit, seque cum classe in portum quendam recepit. Ubi cum exercitus, pro lætitia hostis expulsi, epulis exitiali securitate vacaret, sequenti nocte execrandus presbyter cum suis portum ingressus, ebriosque et somnolentes aggressus, minimo negotio, cum patre regis aliisque optimatibus fere universum delevit exercitum. Rex autem, aliis morientibus, elapsus, in quodam, ut dicitur, proximo virginum monasterio per dies aliquot latuit, frustraque quæsitus ab hostibus, Deo volente, evasit. Hac hostium infelicitate et clade tyrannus elatus, quanto cruentior tanto insolentior circumquaque tanquam triumphans ferebatur, immitem se dominum pressis misere provincialibus exhibens. Rex autem post latebram, luci et amicis redditus, cœpit paulatim vires reficere, auxilia undecunque contrahere, adversus hostiles se dolos cautius præparare, et tandem cum apparatu maximo perrexit in hostem. Quo mox ille cognito, cum videret juvenem propter priores clades prudentius atque instructius agere, numero quoque navium et pondere virium præstare, ad maleficia se convertit. Habebat enim secum quandam filiam diaboli, potentem in maleficiis, atque illi antiquæ merito comparandam, de qua nobilis ait poeta:

> Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
> Quas velit; atque aliis diras immittere curas;
> Sistere aquam fluviis, et sidera vertere retro;
> Nocturnosque ciet manes; mugire videbis
> Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.

Denique hæc, ut dicitur, mira pestilentissimæ artis confidentia, ab amico quæsivit tyranno quomodo suos, qui jam præ oculis erant, hostes cuperet interire. Illo submersionem illorum eligente, repente, operatione diaboli, qui nimirum per angelicæ naturæ potentiam in elementis mundanis plurimum potest, cum a superiori sinitur potestate, tranquillum mare os suum aperiens, in conspectu hostium, majorem regiæ classis partem absorbuit. Quo viso, nefandus presbyter, "Ecce," ait, "socii, quam efficaciter elementa pugnant pro nobis; cavete "ne forte evadant, quorum certum exitium pelagus vestræ "virtuti reliquit, ne totum fecisse videatur." Itaque regii exercitus pars reliqua, subito interitu sociorum attonita, facile est oppressa, et rex ipse interiit. Quo sublato, in ditionem tyrannicam regnum tremefactum concessit. Qui, sacro ordine abjurato, et accepta in conjugem filia regis Gotorum, ab archiepiscopo terræ illius sollemniter coronari voluit. Verum ille cum esset vir magnus, et neque precibus neque minarum terroribus flecteretur ut caput execrabile sacra unctione perfunderet, ab eodem patria pulsus est.

Post annos aliquot surrexit de stirpe regum priorum acer rimus juvenis, nomine Johannes, confluentibus ad eum et roborantibus eum plurimis. Qui cum læta habuisset initia, ut jam ipsi esset tyranno terribilis, juvenili tandem calore inconsultius ad bellum prosiliens, infeliciter et præmature occubuit. Post hunc emersit alius de semine regio bonæ spei puer, copiosis adjutus suffragiis. Verum et hic, in ipsa sacra dominica Palmarum, ante annos aliquot gravi prœlio a tyranno oppressus, et cum suis adjutoribus funditus abrasus est. Sic virga illa furoris Domini, profligato vel eliminato fere omni semine regio atque omni hoste indigena, magnus et tremendus, tandem per manum cujusdam episcopi, ad hoc intentata morte coacti, regium cum mystica unctione diadema sortitus est, sub incerto diu prosperatæ tyrannidis exitu ex crebris successibus quasi securus. Titulus autem sigilli ejus talis fuisse dicitur: "*Suerus Rex magnus, ferus ut leo, mitis ut agnus.*" Clementiam quippe in subditos ostentabat, et ecclesiis sive monasteriis reverentiam exhibebat.

Chapter XXVI.

Character of Henry II. (A.D. 1154-1189).

Sane idem rex et pluribus quæ personam ornarent regiam fuisse noscitur virtutibus præditus, et quibusdam nihilominus vitiis obnoxius quæ Christianum principem plurimum dedecerent. In libidinem pronior, conjugalem modum excessit, formam quidem in hoc tenens avitam; sed tamen avo hujus intemperantiæ palmam reliquit. Regina pro tempore sufficienter usus ad sobolem, ea desinente parere, sectando voluptatem spurios fecit. Venationis delicias æque ut avus plus justo diligens, in puniendis tamen positarum pro feris légum transgressoribus avo mitior fuit. Ille enim, ut suo loco dictum est, homicidarum et fericidarum in publicis animadversionibus nullam vel parvam esse distantiam voluit. Hic autem hujusmodi transgressores carcerali custodia sive exsilio ad tempus coercuit. Gentem perfidam et Christianis inimicam, Judæos scilicet fœnerantes, propter largiora quæ ex eorum percipiebat fœnerationibus commoda, plus justo fovit: in tantum ut in Christianos protervi et cervicosi exsisterent, plurimaque eis gravamina irrogarent. In exquirendis pecuniis paulo immoderatior fuit: sed temporis sequentis supra modum excrescens malitia justificavit eum in hac parte, et decentem modum ab eo innuit esse servatum; excepto eo, quod vacantes episcopatus, ut provenientia perciperet commoda, diu vacare voluit, et ecclesiasticis potius usibus applicanda in fiscum redegit. Hoc tamen opus minus regium tali excusatione, ut dicitur, tueri nitebatur, "Nonne melius est ut pecuniæ istæ "impendantur necessariis regni negotiis, quam in episcoporum "absumantur deliciis? nostri enim temporis præsules veterum "in se formam minime exprimunt, sed circa officium remissi "et languidi, totis mundum brachiis amplectuntur." Hæc dicens, infamem quidem notam nostris præsulibus inurebat, ad sui vero defensionem inanem ratiunculam texebat. Sane in ecclesiam Lincolniensem, quæ ob ampliora commoda vacasse diutius noscitur, gravius deliquit; veruntamen ante sui obitus

annos aliquot ad hoc ipsum expiandum delictum, eidem ecclesiæ religiosi pastoris sollicitudinem studuit providere.

Clarissimos ex Alianore regina filios habuit: sed, ut digesta superius relatio declaravit, in filiis clarissimis infelicissimus ipse pater fuit. Quod utique Dei judicio ex duplicis causæ merito creditur accidisse. Eadem quippe regina regi Francorum olim conjuncta, cum ejusdem pertæsa copulæ ad illius nuptias aspiraret, causas quæsivit divortii: solutamque a lege prioris viri, in facie ecclesiæ, quadam, ut ita dicam, illicita licentia, ille mox suo accivit conjugio. Unde factum est, Deo subtiliter cuncta librante, ut ex ea in propriam perniciem præclaram sobolem procrearet. Justum quoque erat, ut qui filios nimis tenere diligens pluribus nocuisse noscitur, dum filiorum plus justo promotioni intenderet, eorum vel improbis motibus vel immaturis mortibus vapularet. Hoc autem totum accidisse manifestum est, superni utique examinis ordinatione pulcherrima. Porro quia nondum, ut credo, satis defleverat illius infelicissimæ obstinationis rigorem, quem adversus venerabilem archiepiscopum Thomam habuerat, tanti principis tam miserabilem fuisse exitum arbitror, ut dum ei Dominus in hac vita pia severitate non parceret, in alia illi vita, sicut pium est credere, misericordiam præpararet. Fuit enim in illo regni fastigio tuendæ et fovendæ pacis publicæ studiosissimus: in portando gladio ad vindictam malefactorum, quietem vero bonorum, minister Dei multum idoneus: rerum et libertatum ecclesiasticarum, sicut post mortem ejus claruit, defensor et conservator præcipuus. Pupillorum, viduarum, pauperum, in suis præceptationibus multam curam habuit, et locis pluribus insignes eleemosynas larga manu impendit. Viros religiosos specialiter honoravit: et res eorum æquo cum suis dominicis jure conservari mandavit. Antiquam atque inhumanam circa naufragos consuetudinem in ipsis regni sui initiis eximia pietate correxit: atque hujusmodi hominibus ab æquoreo discrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas sanxit qui forte illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam usurpare præsumerent. Nullum grave regno Anglorum vel terris suis transmarinis onus

unquam imposuit, usque ad illam novissimam decimationem, causa expeditionis Ierosolymitanæ, quæ nimirum decimatio in aliis æque fiebat regionibus. Tributum more aliorum principum sub cujuslibet necessitatis obtentu ecclesiis sive monasteriis nunquam indixit : quibus etiam ab angariis et exactionibus publicis religioso studio immunitatem servavit. Discrimen sanguinis et mortes hominum exhorrescens, armis quidem cum aliter non potuit, sed libentius pecuniis cum potuit, pacem quærere studuit. His aliisque bonis personam ornans regiam, multis tamen, ad sola ejus mala oculos habentibus, gratus non fuit. Ingrati homines et conversi in arcum pravum, proprii mala principis assidue carpebant ; bona vero nec audire sustinebant : quibus utique sequentis temporis sola vexatio jam dedit intellectum. Quippe præsentium malorum experientia, bonorum ejus induxit memoriam : atque hominem in diebus suis fere omnibus tam invisum, egregium et utilem fuisse principem declaravit. Salomonem quoque regem pacificum, qui populum Israeliticum ad summi honoris fastigium et præclaras divitias extulit, eidem tamen populo minus placuisse, verba illa ad filium ejus satis insinuant : "Pater "tuus aggravavit jugum nostrum : tu allevia jugum nostrum, "et serviemus tibi." Porro quod idem filius conquerenti populo, puerili levitate comminando respondit, scilicet : "Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. Pater "meus aggravavit jugum vestrum ; ego addam jugo vestro. "Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpioni- "bus." Quod inquam, ab illo leviter dictum est, ad tempora nostra non leviter redundat, et nostris aptissime temporibus congruit: et tamen populus insipiens cum minori nunc querela scorpionibus cæditur quam ante annos aliquot flagellis cædebatur. Obiit autem illustris rex Anglorum, dux Normannorum et Aquitanorum et comes Andegavensium, Henricus secundus, anno regni sui xxx°v°, anno ex quo signum Domini suscepit secundo, biennio Christianæ in oriente debellationis exacto.

BOOK IV.

CHAPTER X.

Fate of the Jews in York Castle (A.D. 1190).

IGITUR Judæi obsidebantur in turri regia; deeratque obsessis sufficiens escarum apparatus, sola proculdubio inedia mature expugnandis, etiamsi nemo foris urgeret. Sed nec sufficientem, sive pro sui tutela sive ad hostes propulsandos, armaturam habebant; quos nimirum imminentes saxis tantummodo interiori muro detractis arcebant. Oppugnatur turris fortiter per dies aliquot, et tandem paratæ admoventur machinæ. Urgebat opus funestum præ multis aliis memoratus ille ex canonico Præmonstratensi heremita, qui fama excitus nuper in urbem venerat, arcemque oppugnantibus in veste alba sedulus aderat, hostes Christi proterendos sæpius cum clamore valido repetens, ut suæ quoque cooperationis exemplo bellatores accendens. Dicitur autem, quod diebus obsidionis processurus ad opus eruentum hostiam ineruentam, erat enim sacerdos, mane immolaverit; in tantum sibi cæcata mente persuaserat, quod et aliis persuadere nitebatur, religiosum scilicet esse negotium quod agebatur. Cumque admoverentur machinæ, ferventi animo cooperabatur pro viribus. Unde factum est, ut incautius muro appropians, saxum grande desuper veniens non caveret; denique conquassatus procubuit, et sublatus continuo exspiravit. Declaratumque est, quod ratione vel professionis vel ordinis, major in eo petulantis facti reatus exstiterit, quem solum ex nostris ibidem infeliciter occumbere contigit.

Admotis itaque machinis certa erat turris expugnatio; nec jam erat ambiguum horam obsessis imminere fatalem. Nocte vero sequenti quievere oppugnantes, vicinæ victoriæ certitudine hilares. Porro Judæi, sola jam desperatione fortes et rigidi, requiem minime habuere, tractantes inter se quid in tali articulo esset agendum. Erat autem ibi senior quidam, juxta literam quæ occidit, famosissimus legis doctor, qui ad docendos

Judæos Anglicanos, ut dicitur, ex partibus venerat transmarinis. Hic erat honorabilis omnibus, et tanquam uni ex prophetis obtemperabatur ei ab omnibus. Cum ergo ab eo consilium pro tempore quæreretur, respondit: "Deus, cui dici "non debet, 'Cur ita facis?' jubet nos pro lege sua mori modo. "Et ecce mors nostra in januis est, sicut videtis: nisi forte, "quod absit, pro brevitate vitæ hujus sacram legem deseren- "dam putetis, atque eligatis, quod bonis et virilibus animis "omni morte est durius, de misericordia scilicet impiorum "hostium cum summo dedecore apostatice vivere. Cum ergo "mortem gloriosam vitæ turpissimæ præponere debeamus, "honestissimum plane atque facillimum mortis genûs eligen- "dum est. Nam si inciderimus in manus hostiles, pro eorum "arbitrio cum ludibrio moriemur. Itaque vitam quam nobis "Creator dedit, cum eam Ipse jam repetat, propriis Illi "manibus sponte et devote reddamus; nec ad reddendum "quod repetit, ministerium crudelitatis exspectemus hostilis. "Hoc enim et multi nostrorum in diversis tribulationibus "laudabiliter fecisse noscuntur, formam nobis decentissimæ "electionis præstruentes." Hæc cum dixisset, exitiale consilium amplexi sunt plurimi: quibusdam vero durus visus est hic sermo. Tunc senior, "Quibus," inquit, "consilium tam "bonum piumque non placet, sedeant seorsum ab hoc sancto "præcisi collegio; nobis enim præ caritate legis paternæ vita "hæc temporalis jam viluit." Secesserunt igitur plurimi, hostium potius clementiam experiri quam hoc modo interire cum sociis eligentes. Mox ad arbitrium insanissimi senioris, ne suis opibus hostes ditarentur, vestes pretiosas in conspectu omnium ignis absumpsit; vasa vero concupiscibilia et cetera quæ poterant per ignem transire, artificiosa invidia pudenda repositione damnavit. Quibus actis, et igne tectis immisso qui in solidiori materia, dum res horrenda fieret, morose nutriretur, eorum quoque, qui ab eis vitæ amore secesserant, vitam correpturus, jugulos ad victimam præparabant. Dictante vero inveterato illo dierum malorum, ut viri quibus constantior esset animus propriis uxoribus atque pignoribus vitam adimerent, famosissimus ille Joceus Annæ uxori caris-

simæ cultro præacuto guttur incidit, et propriis quoque filiis non pepercit. Cumque hoc et ab aliis viris factum esset, infelicissimus ille senior Joceum, eo quod esset honorabilior ceteris, jugulavit. Absumptis mox omnibus una cum magistro erroris, immisso, ut dictum est, a morituris igne, interiora turris ardere cœperunt. Qui vero vitam elegerant, incendio a suis, ut et ipsi vel inviti commorerentur, concinnato, prout poterant resistebant, quædam scilicet sibi turris defendentes extrema in quibus minime urerenter. Stupendus plane irrationalis ille rationalium in semetipsos furor. Verum qui Josephi de Judaico bello legit historiam satis intelligit ab antiqua Judæorum superstitione, cum forte tristior casus incumberet, illam nostri temporis manasse vesaniam. Mane autem facto, cum populus frequens ad expugnandam arcem concurreret, miseræ illæ Judæorum reliquiæ stantes ad propugnacula nocturnam suorum cladem voce lacrimabili declararunt, et ad oculatam tanti piaculi fidem exstincta cadavera muro devolventes, talia proclamarunt: "En corpora infeli-"cium, qui mortem sibi furore nefario consciverunt; et ut nos "idem facere detrectantes, Christianamque potius clementiam "experiri volentes, vivos incenderent, ignem interioribus "turris hujus morientes immiserunt. Sed servavit nos Deus "et a fratrum nostrorum vesania, et ab ignis periculo, ut "a vobis ulterius in religione minime discrepemus. Vexatione "enim dante intellectum, Christianam cognoscimus veritatem, "et requirimus caritatem; parati, quod a nobis soletis exigere, "sacro baptismate ablui, et pristinis ritibus abdicatis, ecclesiæ "Christi uniri. Suscipite fratres ex hostibus, ut una vobiscum "in Christi fide et pace vivamus." Talia illis lacrimose loquentibus, nostrorum plurimi et exstinctorum vesaniam cum ingenti stupore horrebant, et cladi reliquos miserabantur: at conjuratorum principes, e quibus erat quidam Ricardus, vero agnomine Mala-Bestia, homo audacissimus, nulla super miseris illis misericordia movebantur. Mitia tamen cum eis in dolo loquentes, et speratam gratiam sub fidei testificatione pollicentes, ut egredi minime vererentur, mox ut egressi sunt, hostiliter comprehensos, et baptismum Christi constanter

postulantes, lanistæ crudelissimi peremerunt. Et de his quidem, quos ita plusquam belluina illa confecit immanitas, incunctanter dixerim, quia si in petitione sacri baptismatis fictio defuit, ejus nequaquam effectu fraudatos sanguis proprius baptizavit. Sive autem ficte sive non ficte sacrum petierunt lavacrum, inexcusabilis est execranda illa crudelitas lanistaram. Quorum proculdubio primum scelus est, quod ordinatum potestatem non habentes, humanum, quasi aquam, sanguinem effundere præsumpserunt: secundum, quod livore magis malitiæ quam zelo justitiæ sævierunt: tertium, quod Christianam gratiam petentibus inviderunt: quartum, quod miseros ut egrederentur ad victimam mentiendo fefellerunt. Horrenda plane et fœda tunc rerum erat facies in urbe, et circa arcem passim jacentibus tot miserorum cadaveribus inhumatis. Cæde vero completa, conjurati continuo cathedralem ecclesiam adeuntes, monumenta debitorum, quibus Christiani premebantur, a Judæis fœneratoribus regiis ibidem reposita, ab exterritis custodibus violenta instantia resignari fecerunt, et tam pro sua quam et aliorum multorum liberatione eadem profanæ avaritiæ instrumenta in medio ecclesiæ flammis sollemnibus absumpserunt. Quibus actis, illi ex conjuratis, qui signum Domini acceperant, ante omnem quæstionem iter propositum arripuerunt: ceteri vero in provincia sub quæstionis formidine remanserunt. Sane tempore Dominicæ passionis, pridie scicilet ante Dominicam Palmarum, talia Eboracæ contigerunt.

Chapter XIV.

Insolence of Longchamp (A.D. 1190).

Reflectendus nunc ab Oriente in nostrum Occidentem videtur sermonis procursus, atque exponendum qualis regni Anglici in regis absentia status exstiterit. Idem rex, ut superius dictum est, ad Orientalem egrediens expeditionem, Eliensi episcopo cancellario suo vices suas in administratione regni commiserat, cum ejusdem regni ossibus, id est, munitionibus regiis. Qui episcopus, cum esset audaciæ astutiæque

pæne singularis, gravi summa Romam transmissa vices quoque sedis Apostolicæ petiit, et tali intercessione facile impetravit. Quod astute dissimulans, tanquam pro regni negotiis convocavit episcopos et regni majores, ingerensque incautis indultæ sibi legationis instrumentum, cum fastu sollemni sedis se Apostolicæ legatum ostentavit, multis quidem ægre ferentibus, sed obsistere nequaquam valentibus. Denique ut ad summum evectus videretur, et tam regno quam ecclesiæ conspicuus apparens, æmulantium oculis dolorem injiceret, generale ex Anglia concilium, terrore maximo Lundoniis congregatum, quanto gloriosius tanto et vanius celebravit, sub specie scilicet religionis et obtentu quasi ecclesiasticæ utilitatis agens propriæ negotium vanitatis. Quod utique tanto fortius tutiusque agebat quanto metropolitanis non exstantibus infirmiorem contra se episcoporum æmulationem vel indignationem videbat. Quippe sedes Eboracensis fere jam per decennium vacaverat, et novus ejusdem sedis electus in transmarinis partibus constitutus, ipso impediente nondum canonicæ potcrat consecrationis munus promereri. Porro Cantuariensis archiepiscopus, qui juxta sedis propriæ prærogativam Apostolicis in Anglia vicibus præditus, signum Domini sub rege Henrico susceperat, et post coronationem regis Ricardi, juxta devotionis suæ debitum, in partes abierat Orientis, Tyrum deveniens, ante regum adventum ibidem hominem exuit. Itaque homo ille, sublato omni obstaculo quominus ambularet in magnis et mirabilibus super se, fretus duplici, id est, Apostolica simul et regia, potestate, clero pariter et populo arrogantissime præsidebat. Et sicut de quodam scriptum est, quod utraque manu utebatur pro dextera, sic et ille ad faciliorem molitionum suarum efficaciam utraque potestate utebatur pro altera. Ad cogendos quippe vel coercendos potentes laicos, si quid forte ex seculari potentia minus poterat, Apostolicæ id ipsum potestatis censura supplebat; si autem ex clero forte quisquam voluntati ejus obsisteret, hunc proculdubio frustra pro se secundum canones allegantem, seculari oppressum potentia coercebat. Nec erat qui se absconderet a calore ejus, cum et secularis in eo virgam vel gladium Apostolicæ potestatis

timeret, et ecclesiasticus nulla se ratione vel auctoritate contra imminentiam regiam tueri valeret. Denique de potestate in immensum glorians, ut et metropolitanæ ecclesiæ, quæ adhuc ejus videbantur aspernari excellentiam, experirentur potentiam, ad utramque tremendus accessit; et primo quidem ad Eboracensem, cujus infestissimus erat electo: præmissoque cum terroribus ad clericos ejusdem ecclesiæ mandato, ut sibi tanquam Apostolicæ sedis legato sollemni more occurrerent, cum illi adversus eum appellandum duxissent, appellationi ad superiorem potestatem factæ non detulit; sed appellantibus optionem dedit ut aut jussa complerent, aut tanquam rei majestatis in carcerem regium truderentur. Territi ergo paruerunt: et ne mutire quidem ulterius contra eum audentes, tanquam triumphanti quantum voluit honoris et gloriæ dissimulata tristitia impenderunt. Præcentor vero ejusdem ecclesiæ paulo ante declinaverat, ut non videret quod absque animi tormento videre non posset. Quo ille comperto, sævicns in absentem tanquam in rebellem, motu implacabili per satellites proprios rebus eum omnibus spoliavit: deprædato quoque archiepiscopatu atque in fiscum redacto, triumphator inclitus abiit; ac non multo post de Cantuariensibus, cum nemo illi jam auderet obsistere, non dissimiliter triumphavit.

Utramque ergo sedem metropolitanam habens substratam, utraque usus est ut voluit. Denique ipsum illo tempore in Anglia et plusquam regem experti sunt laici, et plusquam summum pontificem clerici; utrique vero tyrannum importabilem. Quippe duplicis occasione potestatis duplicem indutus tyrannum, solis complicibus et cooperatoribus suis innoxius, ceteris indifferenter non tantum pecuniarum ambitu verum etiam dominandi voluptate erat infestus. Fastus ejus ferc in omnibus plusquam regius erat. Orientalium more regum tanquam in expeditione jugiter positus, armatorum circa cubiculum suum habere excubias voluit. Procedebat cum mille equis et plerumque etiam numerosius. Legationis suæ nomine hospitia a cunctis per Angliam exegit monasteriis; et a minoribus quidem, quæ pondus hospitii ferre non poterant, certa, id est, octo vel quinque marcarum summa redimi

hospitia censuit: majoribus vero incumbebat velut locusta. Eliensis quidem episcopatus redditus uberes esse noscuntur: sed quantus erat ipsorum modus ad immoderatissimas præsidentis expensas? Exhausit ergo expensarum profluvio non solum ærarium regium verum etiam quicquid ex regno, monasteriis, ecclesiis, quacunque occasione sive per se sive etiam per officiales proprios corradere poterat. Præfecerat enim provinciis singulis, perdendis magis quam regendis, nequissimos avaritiæ suæ ministros, qui non clerico, non laico, non religioso parcerent vel deferrent, quominus cancellarii commodis inservirent; sic enim dicebatur, cum esset episcopus; et episcopi quidem in illo nullum vel tepidum, cancellarii vero nomen per universam erat Angliam insigne atque terribile. Provinciarum vero præfectos, quo provincialibus essent formidini, sub prætextu publicæ provisionis, tanquam ad arcendam vel coercendam latronum audaciam, voluit habere in ministerio oberrantes armatas immanium barbarorum catervas, a quibus utique passim et impune debacchantibus innumeræ in provinciis enormitates et crudelitates patratæ esse noscuntur. Sane quoniam regni optimatibus, insolentiam fastumque ejus execrantibus, parum se credere poterat, propinquarum suarum connubiis plurimos sibi potentes et nobiles devincire curavit. Quis enim nobilium eo tempore uxorem non habens, vel filio suo sive nepoti uxorem acciperc cupiens, oblatam sibi aliquam propinquarum cancellarii, quarum turbam idem hujus rei gratia ex Normannia in Angliam acciverat, obviis manibus non acciperet, nec præclaram affinitatem sub spe magnæ promotionis optaret? Cum ergo hoc modo astrinxisset sibi nobilium plurimos, ceteros vero vel confregisset terroribus vel arte et officiis delinisset, solum tamen metuebat Johannem regis fratrem, utpote longe potentiorem ceteris et speratum regni successorem, si fortc rex in illa tam laboriosa periculosaque peregrinatione deficeret: cujus utique rcditus non solum incertus erat, sed etiam causis valde probabilibus desperatus. Denique, ne forte rege peregre moriente et Johanne rite succedente, propria exspiraret potestas, arte, ut dicitur, agendum putavit ut Johannes jam adultus non succederet, sed per

successorem tenerum longi sibi temporis potestatem pararet. Duobus itaque fratribus suis ad regem Scottorum directis, petiit ut firmissimo sibi fœdere cohæreret ad præficiendum regno Anglorum Arturum Britonem ipsius pronepotem, si forte rex peregre in fata concederet, eo quod illi potissimum, nato scilicet ex Geofrido fratre regis majore, successio regni competeret; protestans regem literis ex Massilia sive Sicilia ad se directis Arturum nepotem suum, si forte ipsum non reverti contingeret, regni successorem designasse, et ut illi, adhuc paulo amplius quam quinquenni, regnum usque ad annos viriles servaretur mandasse. Hoc quidem mysterium inter duos illos potentes occultis tractatum susurriis non diu latuit Johannem. Qui conceptum rancorem subtili pro tempore cautela dissimulans, suæ parti quoscunque poterat prudenter alliccre, artemque arte eludere studuit.

Chapter XLI.

Return of Richard I. (A.D. 1194).

Igitur rex Anglorum post Alemannicæ detentionis tædium, quod jam annum excesserat, mense tandem Januario sollemniter relaxatus est, relictisque apud imperatorem loco obsidum Rothomagensi archiepiscopo, Batoniensi episcopo, et nobilibus plurimis, sive pro expletione summæ nondum persolutæ sive etiam pro quorundam fide pactorum, portum qui Swina dicitur adiit, inde in regnum proprium, Deo propitio, transiturus. Verum cum ibidem diuscule demorari cogeretur, sive necessarii apparatus gratia sive etiam propter flatus adversos, indultæ ei gratiæ, ut dicitur, imperatorem pœnituit, et relaxatum ad perpetuam revocare custodiam cogitavit. Nam sicut olim Pharao et Ægyptii, quos Deus induraverat, pœnitentia ducti quod populum Dei, quem servitute oppresserant, tandem vel coacti dimisissent, dixerunt: "Quid voluimus "facere ut dimitteremus Israel ne serviret nobis?" ita etiam perfidus ille imperator et Alemanni cum regem Christianum, quem sola turpis lucri gratia diutina custodia coarctarant, sera tandem clementia relaxassent: "Quid," inquiunt, "fecimus

"emittentes ad orbis periculum tremendi roboris et sævitiæ "singularis tyrannum? Et quidem olim, elementis traden- "tibus, datus in manus nostras, eisdem etiam nunc adversan- "tibus, reditumque ad propria negantibus, ejusdem procul- "dubio sortis discrimen exspectat. Ergo velociter revocetur "ad vincula, non relaxandus in secula." Non latuit nequissimæ molitionis susurrium quendam ejusdem forte regis benivolum; qui tantæ malignitatis mysterium nihil tale suspicanti festino significans nuntio, cautum eum reddidit, et ut se confestim navigio in portum daret, seque potius elementis quam infidis hominibus crederet, amica sollicitudine monuit. Quod et factum est tam celeri quam et salubri cautela. Mox imperatorii, ut dicitur, apparitores affuere, atque impotentes nobilem prædam, in arido non inventam, per liquidum persequi, cum suæ frustrationis excusatione congrua ad præceptorem perfidum rediere. Qui sera sibi pœnitudine imputans irregressibilis captivi elapsum, præcipitem motum in innoxios obsides transtulit, ac prius apud se indulgentius liberiusque habitos arctiori custodia castigavit. Porro regem Anglorum, a facie hostilium satellitum refugientem in pelagus, secundi flatus excipientes, et quasi satisfacientes pro eo quod illum anno præterito Alemannicæ immanitati prodiderant, salvum atque incolumem cum omni comitatu regno proprio reddiderunt. Applicans ergo apud portum Sandwicum mense Martio, tempore Quadragesimalis jejunii, tunc primum captivitate liberatum se credidit cum, navi egrediens, Anglicum solum calcavit.

BOOK V.

CHAPTER IV.

Institution of Tournaments (A.D. 1194).

CURRENTIBUS igitur inter reges induciis, meditationes militares, id est, armorum exercitia, quæ torneiamenta vulgo dicuntur, in Anglia celebrari cœperunt, rege id decernente, et a singulis, qui exerceri vellent, indictæ pecuniæ modulum exigente. Nec movit hæc regia exactio alacritatem juvenum

in arma flagrantium quominus flagrarent atque exercendi sollemniter convenirent. Sane hujusmodi, nullo interveniente odio, sed pro solo exercitio atque ostentatione virium concertatio militaris nunquam in Anglia fuisse noscitur nisi in diebus regis Stephani, cum per ejus indecentem mollitiem nullus esset publicæ vigor disciplinæ. Porro temporibus regum priorum, Henrici quoque secundi qui Stephano successit, tironum exercitiis in Anglia prorsus inhibitis, qui forte armorum affectantes gloriam exerceri volebant, transfretantes in terrarum exercebantur confiniis. Considerans igitur illustris rex Ricardus Gallos in conflictibus tanto esse acriores quanto exercitatiores atque instructiores, sui quoque regni milites in propriis finibus exerceri voluit, ut ex bellorum sollemni præludio verorum addiscerent artem usumque bellorum, nec insultarent Galli Anglis militibus tanquam rudibus et minus gnaris. Sciendum vero hujusmodi armorum exercitia tribus generalibus conciliis sub tribus venerabilibus Romanis pontificibus esse prohibita. Unde in concilio Lateranensi Alexander papa; "Felicis," inquit, "memoriæ "papæ Innocentii et Eugenii prædecessorum nostrorum "vestigiis inhærentes, detestabiles nundinas, quas vulgo tor-"neiamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire "solent, et audacia temeraria congrediuntur, unde mortes "hominum et animarum pericula sæpe proveniunt, fieri pro-"hibemus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, "quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Christiana "tamen careat sepultura." Cum ergo sollemnem illum tironum concursum tanta sub gravi censura vetet auctoritas, fervor tamen juvenum, armorum vanissime affectantium gloriam, gaudens favore principum probatos habere tirones volentium, ecclesiasticæ provisionis usque in præsens sprevit decretum.

Chapter VI.

Stephen de Turnham and the Devil (A.D. 1193).

Libet hoc loco commemorare quod Stephano procuratori Andegavis contigisse fertur, paulo ante reditum ab Alemannia

regis Anglorum. Idem enim Stephanus ex statu mediocri ad tantæ administrationis culmen a rege Henrico sublevatus, ipso superstite prudentiam atque modestiam in suis actibus ostentavit: filio quoque ejus, regi Ricardo, sic placuit, ut eandem illi administrationem crederet peregre profecturus. Porro ille conjectans delicati corporis principem ex longissimæ et laboriosissimæ peregrinationis magnis certisque periculis vel non vel difficillime posse reverti, in diutina absentia ejus cœpit creditæ sibi potestatis fines excedere, atque ambulare in magnis et mirabilibus super se. Volens autem certissime dignoscere utrum idem princeps ad propria foret reversurus, suadente quodam familiari, quendam Toleti consistentem in artibus curiosis famosum super hoc credidit consulendum, habens divinationis pretium in manibus. Ille vero assumens deludendum hominem in locum secretum, caput illi quoddam adorandum exhibuit: "Quære," inquiens, "ab hoc, sed pauca "et breviter; nam ad multiloquium et ad plura non respondet." Tnm ille: "Num," inquit, "visurus sum regem Ricardum?" Et respondit nequam spiritus de capite: "Non." Et ille: "Quamdiu," inquit, "durabit mihi administratio suscepta a "regibus?" Respondit spiritus: "Usque ad mortem tuam." Tertio quæsivit ubi esset moriturus? Et responsum est: "In "pluma." Nec licuit ei ulterius quærere: sed dimissus a vate, lætus abscessit, concinnatam dæmonis fallaciam suo tempore experturus. Denique præcepit suis, ut modis omnibus præcaverent ne quid sibi plumeum occasione qualibet applicarent sive substernerent: hac sibi cautela vitam longissimam pollicens, cum non esset moriturus nisi in pluma. Cœpit ergo de cetero tanquam præscius futurorum confidentius agere, conculcare subditos, et maxime quendam ex nobilibus, quem suspectum atque exosum habebat, urgere. Qui viribus impar, in quandam munitionem suam fugit a facie insequentis. Ille vero munitionem castris circumdedit, ut eam oppugnaret. Et cum forte circa eam cum paucis negligentius oberrarct, qua parte facilius capi posset explorans, repente vir ille, quem ad audendum desperatio stimulabat, cum suis per posticam erumpens, raptum hostem, et quasi judicio Dei in manus suas

traditum, muris cum gaudio intulit, et frustra offerentem plurima pro anima sua crudeliter laniatum trucidavit. Munitio vero illa dicebatur Pluma; patuitque cavillatio spiritus illusoris prædicentis quod infelix ille moriturus esset in pluma.

Chapter IX.

The Pilgrim and the Devil (A.D. 1195 ?).

Aliud quoque ipso tempore in pago Cenomannensi accidisse fertur, quod eundem regem non frustra territum suæ propensius salutis admonuit. Res pluribus nota est, quam nostræ simpliciter narrationi inserimus prout nobis viri venerabiles et fide digni tradidere, a Cenomannensi episcopo id ipsum se accepisse protestantes.

Vir quidam ex ejusdem episcopi clientela, piæ devotionis instinctu, profectus Hispanias ad memoriam beati apostoli Jacobi, cum sospitate ad propria remearat. Qui post modicum calore fidei et devotionis fortius ignescens, longe laboriosiori peregrinatione sepulchrum invisere Dominicum voluit. Valedicens ergo suis, iter opportune arripuit; et cum forte solus graderetur, repente in ipsa via obstitit ei quidam enormi corpore et vultu terribili. Pavefactus homo, elevata manu, Christianam sumpsit armaturam. Ille vero tanquam non reputans salutare signaculum: "Nequaquam," inquit, "hoc "modo tueri te poteris, quin meus sis; porro si procidens "adoraveris me, faciam te locupletem et inclitum valde." Ad hæc homo, pavorem fiducia superans, cum libertate respondit: "Liquet te esse partis sinistræ, sint tua tibi; nam mihi "sufficit omnipotentis Dei largitio, quem solum adoro." Et ille: "Oportet," inquit, "te vel invitum aliquid habere de "meo." Et proferens tanquam pallium subtilis materiæ, jactavit super caput hominis, quod mox attactu igneo capillis exustis cutem quoque capitis denigravit. Prosiliensque hostis, hominem periculo anxium per brachium apprehendit. Homo vero cum tanta perurgeret necessitas, sanctum Jacobum ex recentis obsequii conscientia fortiter inclamavit. Qui beatus

Apostolus in specie reverenda manifeste mox affuit, et potenti verbo invasorem improbum increpavit. Ut autem homo de manibus inimici furentis ereptus, tuto jam auditu perciperet, quorum, ut creditur, audiendorum gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat: Apostolus ad nequam illum: "Dic," inquit, "quis sis, vel quid negotii habeas." Qui constrictus imperio: "Dæmon," inquit, "sum generi humano "infestus, et mille nocendi artibus instructus. Ego enim "grande illud scandalum et Christianæ possessionis jacturam "in Oriente patravi: ego inter reges Christianos in Terra "Promissionis, ut nil ab eis ageretur, nec prosperaretur opus "Dei in manibus eorum, detestabilem discordiam seminavi; "regem Anglorum a Syria digressum per ministrum nequitiæ "meæ, ducem scilicet Austriæ, captivavi, multimodam exinde "malorum occasionem regnis Christianis concinnans; eundem "quoque regem de captivitate ad propria revertentem comi-"tatus, in partibus istis nunc consisto, cubili regio tanquam "familiaris minister frequenter assisto, et circa thesauros ejus "apud Chinonem repositos pervigili cautela observo." His dictis, malignus disparuit: Apostolus etiam, confortato homine, in suæ se claritatis secretum recepit. Homo vero ad urbem Cenomannensem mature reversus, episcopo virisque prudentibus cuncta per ordinem replicavit; in argumentum fidei caput depilatum, et brachium manus pestiferæ contactu ustulatum, nudavit. Quibus actis, post dies aliquot propositum iter repetiit. Nec diu ista latuere regem Ricardum. Qui nimirum Ejus qui tangit montes et fumigant timore compunctus, salubrioris instinctu consilii, cubiculum suum, sicut accepimus, de cetero castius esse voluit, et de thesauris suis largiores indigentibus eleemosynas erogavit.

Chapter X.

Character of Hugh, Bishop of Durham (A.D. 1195).

His diebus Hugo Dunelmensis episcopus extrema sorte defecit, anno sacerdotii sui quadragesimo secundo. Et

quidem electorum pontificum, quibus dignus non erat mundus, raros legimus tanto tempore officio functos: nostri autem temporis episcopis, quibus mundus non est crucifixus sed infixus, nescientibus cum propheta dicere, "Heu mihi quia "incolatus meus prolongatus est," etiam productius in illa excellentia tempus breve videtur, tantusque hos, cum suas vel divitias vel delicias deserere coguntur, torquet dolor, quantus illis dum affluerent hæsit amor. Dicitur autem episcopus ille, nescio unde deceptus, dum in prosperis ageret, tam annosam sibi prophetasse ætatem, ut audientibus plurimis pronuntiaret se, oculis senio caligantibus, annos decem in cæcitate acturum. Quamobrem mundo secure incubans, extremis tandem ex improviso urgentibus, hujus sententiæ vel sero agnovit mendacium. Sane utrum in hoc aliquis eum quasi divinando deluserit, an ipse abundans in sensu suo, ex consideratione bonæ valetudinis suæ, vitam sibi longiorem pollicitus fuerit, incertum est. Quippe usque ad septuagesimum annum quo decessit, morbumque quo absumptus est, fere semper corpore indolorius, sospes, et vegetus vixisse perhibetur. Homo in terrenis disponendis prudentissimus, et sine multis literis eloquentissimus; pecuniarum sitientissimus; earumque scientissimus exquirendarum. Spirituali potentia sive excellentia episcopus non contentus, secularem ambivit; et multa ecclesiasticæ pecuniæ, religiosis potius usibus applicandæ, jactura, quæsivit sibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra. Castellorum instructioni atque insignium in locis plurimis ædificiorum fabricæ deditus, quo plus studuit ædificare in terra, eo remissius ædificare curavit in cœlo. Hic nimirum ob solam generis nobilitatem ex secularis vitæ illecebris in ætate minus canonica ad episcopatum assumptus, studiose implevit illud Salomonis; "Omnia quæ desidera-"verunt oculi mei non negavi eis; nec prohibui cor meum "quin omni voluptate frueretur." Cumque opibus plerumque non parceret, sed multo studio congesta, ne quid magnis animi sui conceptibus deperiret, indiscrete effunderet, alias tamen multo plus erat congregans quam dispergens. Leprosis indulgentior, nobile illis xenodochium, non longe a civitate

Dunelmensi, profusa quidem, sed tamen ex parte minus honesta largitione, construxit; alieni quippe juris non modicum huic devotioni per potentiam applicans, dum propria sufficienter impendere gravaretur. Sane cum post plebis Christianæ in Oriente excidium Christiani principes multusque populus characterem Dominicum suscepissent, ipse quoque ejusdem piæ devotionis consors esse voluit. Denique in capite jejunii signum Domini sollemniter sumpsit, et pro castigandis peccatis suis sub veste exteriori mollia cilicio mutavit, quo tamen diu usus non est. Porro ut abjiciendi etiam sacri characteris occasio non deesset, tepide rogatus a principe, publicæ administrationis sollicitudinem, ut suo loco plenius dictum est, minime recusavit, ac deinde ab eodem callide inductus, appensa illi universa pecunia quam in sumptus longissimæ peregrinationis congesserat, comitatum Northumbriæ comparavit. Quo facto, et rege in Orientem profecto, a sacro tandem charactere humerum liberavit, ac geminato honori episcopus senior comesque novitius incubans, potentiam suam et gloriam usque ad ejusdem principis reditum magnifice ostentavit. Cum autem ejus de captivitate Alemannica in regnum regressi faciem minus sibi arridentem notasset, non aliter eum, quam resignato comitatu, quem gravi summa emerat, et spatio brevi possederat, placari posse credidit. Non tamen vel sic placare eum potuit, quem nimirum exactionibus importunis postmodum gravem sensit, credentem scilicet tanti episcopi sacculos non facile posse exhauriri, præsertim cum ille pro redimendo comitatu, quem olim frustra emerat, in multa quantitate pecuniam novam offerret. Proinde regi in partibus transmarinis constituto, et oblatam quidem pecuniam imminentia regia exigenti, non tamen comitatum reddenti, per responsales et munera supplicavit, ut vel mediante ipsa pecunia comitatum redderet vel non reddens ab exactione cessaret. Rex autem callide, ut olim, hominem palpans, literis reverentia plenis mandavit, ut oblatam summam appensurus Lundonias accederet, et tanquam pater patriæ cum archiepiscopo Cantuariensi totius regni moderator de cetero resideret. Qua gratia exhilaratus episcopus in multa lætitia eundi

Lundonias iter arripuit; veniensque ad villam propriam, quæ dicitur Creic, dominica qua mos est sacerdotibus caput quadragesimalis jejunii sollemni esu carnium prævenire, ibidem supra virtutem corporis senilis ingurgitavit se epulis, dum miser, cui nil sapit venter, per saporum illecebram de numerositate ferculorum usque ad gravamen proprium suscipere cogeretur. Cumque per vomitum vitio crapulæ mederi voluisset, eo ipso afflictus est magis. Ab illo ergo die sensim deficiens, obstinato tamen animo progressus est itinere dierum aliquot usque Doncastrum; nec ulterius, crescente incommodo, obluctari valens, itinere liquido circa primam dominicam Quadragesimæ delatus Houedennam ibidem decubuit. Et cum ingravescente molestia jam desperaretur, amicis qui aderant suadentibus, testamentum condidit, et pro tempore faciens fructus vel seræ pœnitentiæ, sensu quidem doloris modico, sicut fatebatur, sed defectu paulatim serpente, et tandem prævalente, vitam finivit. Illo autem mortuo, et episcopatu illico per ministros regios in fiscum redacto, iidem omnia secreta ejus perscrutantes, quicquid repertum est regiis applicuere commodis. Sed nec ministri et familiares ejus evascre quæstionem, qui nimirum jussione regia tanquam subtractores bonorum ejus districtæ discussioni addicti, pro viribus quisque substantiæ suæ satisfacere sunt compulsi.

Chapter XIX.

Death of the Abbot of Caen (A.D. 1196).

Ipso tempore rex Ricardus de partibus transmarinis misit in Angliam abbatem Cadomensem, indulta ei potestate in iis quæ fisco competerent subtilius atque districtius exquirendis. Erat autem idem abbas mediocriter quidem literatus, sed in temporalibus egregie prudens atque eloquens. Prudens, inquam, juxta illud, "Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis "lucis in generatione sua." Quippe ex claustrali disciplina assumptus ad monasterii regimen, cum juxta Apostolum, "Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus,"

actionem muneris secularis subterfugiendo lucis esse filius debuit: quam utique ambiendo et amplectendo, filium se hujus seculi declaravit, dum vel minus attenderet, vel nollet intelligere, ut bene ageret, quantum peccatrix illa actio a professione monachi et abbatis officio discreparet. Denique frequentibus obsequiis nactus amicitiam principis, sub prætextu fidei et devotionis, ut dicitur, suggerendum ei putavit, fraude officialium regiorum ærario ejus plurimum deperire: qua nimirum deprehensa et castigata, absque omni provincialium gravamine duplicia posse fisco accedere. Quibus verbis princeps aurem libenter accommodans, rogavit eum hanc operam sumere, et potestate præditum in Angliam transfretare. Ille regiam vel petitionem vel jussionem devote amplexus, monasterii cura postposita, venit Lundonias, Cantuariensi archiepiscopo, qui regni curam gerebat, et regiam voluntatem et suam in executione voluntatis regiæ potestatem intimavit. Quæ nimirum licet idem Cantuariensis minus approbaret, refragandum tamen non duxit quo minus ille exsequeretur injunctum. Mandato igitur regio per universam Angliam discurrente uti provinciarum præsides ad diem certum Lundonias occurrerent, de administrationibus suis rationem coram memorato abbate reddituri, ipsi interim gloriosus et potestatem ostentans Quadragesimali tempore sedit Lundoniis, Paschalia gaudia non visurus, nec cum eis quos evocaverat rationem post Pascha positurus, sed ante Pascha rationem superno Judici de propriis actibus redditurus, quanto paratior ad rationem cum aliis ponendam tanto imparatior ad rationem pro se reddendam. Paucis quippe diebus elapsis postquam Angliam introiit, de mundo exiit. Porro illi qui introitum ejus expaverunt, exitum ejus non fleverunt.

Chapter XX.

Longbeard's Conspiracy (A.D. 1196).

Sane Lundoniis inter memorati abbatis exitum, et cujusdam, qui nuper emerserat, grandia molientis exitium, pauci ad-

modum fluxere dies. Neuter enim fatis urgentibus Paschalia gaudia vidit, dum sors extrema modico intervallo divideret, qui similitudine vel causæ vel propositi consonare videbantur. Abbas, enim, ut commoda regia cum quiete provincialium quæreret, fraudem atque effrenem avaritiam officialium regiorum castigandam esse censebat. Iste vero, cum civis esset Lundoniensis, sub obtentu quasi fidelitatis regiæ, causam se agere pauperum civium contra insolentiam divitum astruebat; fortiter allegans, nam facundissimus erat, quod ad omne edictum regium divites, propriis fortunis parcentes, pauperibus per potentiam omne onus imponerent, et ærarium principis multa summa fraudarent. Hic nimirum Lundoniis oriundus Guillelmus dicebatur, agnomen habens a barba prolixa, quam ideo nutriebat ut hoc, quasi insigni, in cœtu et concione magis conspicuus appareret. Qui cum esset ingenio acer, mediocriter literatus, eloquens supra modum, innata quadam animi et morum petulantia nomen sibi grande facere volens, moliri nova et audere ingentia cœpit. Denique inhumana et impudens actio ejus in proprium germanum, signum est vesaniæ nequitiæque ejus in ceteris. Erat enim ei frater senior, civis Lundoniensis: a quo, dum scholis vacaret, consueverat ad usus necessarios petere atque percipere solatia sumptuum. Cumque jam grandior atque in expensis profusior ea sibi quereretur remissius ministrari, quod precibus minus poterat, comminationum terroribus tentavit elicere. Ubi hoc frustra tentatum, eo quod frater circa domus suæ curam occupatus illi satisfacere minus sufficeret, tanquam in ultionem suam sæviens, exarsit in scelus. Post tanta quippe fratris beneficia fraterni sanguinis sitiens, proditionis regiæ crimen illi opposuit. Aditoque principe, cui se pridem vel arte vel obsequio commendarat, quod frater suus in animam ejus conjurasset coram eo proposuit, tanquam suam in hac re circa principem devotionem declarans, qui nec fratri pro fide ejus parceret. At hoc derisum est a principe, inhumanissimi hominis malitiam forsitan exhorrente, et tanta naturæ injuria jura pollui non sinente. Hic nimirum, favore quorundam nactus in urbe locum aliquem inter magistratus, cœpit paulatim concipere

dolorem et parere iniquitatem. Quippe duobus magnis vitiis stimulantibus, superbia scilicet atque invidia, quarum prima est appetitus excellentiæ propriæ, secunda vero odium felicitatis alienæ, quorundam civium sive optimatum, quibus se imparem esse cernebat, fortunas gloriamque non ferens, dum aspiraret ad grandia, sub prætextu justitiæ et pietatis in ausus impios conspiravit. Denique clandestina opera et venenatis susurriis apud plebem insolentiam divitum et potentum, per quam ipsi indigne tractarentur, sugillans, inopesque et mediocres ad immoderatæ libertatis et felicitatis amorem inflammans, adeo sollicitavit plurimos, et quibusdam quasi præstigiis fascinatos ita sibi devinxit, ut ad ejus in omnibus nutum penderent, ipsi, tanquam omnium provisori, quæcunque juberet, incunctanter in omnibus obtemperare parati. Facta est igitur Lundoniis, tanquam zelo pauperum contra insolentias potentum, conjuratio valida. Fuisse autem fertur conjuratorum civium numerus, ascriptis, ut postea claruit, penes ipsum nefariæ molitionis artificem nominibus singulorum, quinquaginta duo millia. Ferramentorum quoque ingens copia, ad effringendas domos munitiores præparata, penes eundem rejacebat, quæ postea reperta malignissimæ machinationis argumentum fuit. Tanto itaque fretus consciorum numero, tanquam zelando pro plebe pauperum, et nihilominus sub prætextu regii commodi, cœpit in omni cœtu nobilibus in faciem resistere, quod eorum fraude fisco plurimum deperiret potenti eloquio allegare. Cumque propter hoc contra eum indignarentur et fremerent, deploraturus apud principem, quod pro ejus fide potentum inimicitias atque calumnias pateretur, transfretandum putavit. Reversusque ad suos, calliditate solita cœpit de cetero, tanquam regio favore subnixus fiducialius agere, et proprios complices fortius animare. Cumque jam initæ conspirationis suspicio rumorque crebresceret, dominus Cantuariensis, cui principaliter regnum erat commissum, non ulterius dissimulandum ratus, convocatam plebem blande alloquitur, natos rumores replicat, ad omnem sinistram suspicionem tollendam obsides pro fide domino regi et pace servanda dari monet. Blandiloquio ejus populus

placatus obtemperat, obsides dantur. Nihilominus homo ille cœptis insistens, vallatus turbis pompatice procedebat, conventus publicos auctoritate propria faciebat, regem se vel salvatorem pauperum arroganter vocitans, et frenandam a se in brevi perfidorum insolentiam granditer intonans. Sane ex eo quod viri veracis narratione didici, dicentis se ante dies aliquot concioni ejus interfuisse et concionantem audisse, fastus sermonum ejus elucet. Sumpto enim vel themate vel testimonio de scripturis sacris, ita exorsus est: "Haurietis aquas "in gaudio de fontibus Salvatoris." Quod ad se derivans: "Salvator," inquit, "pauperum ego sum. Vos pauperes 'duras divitum manus experti, haurite de fontibus meis "aquas doctrinæ salutaris, et hoc cum gaudio: quia venit "tempus visitationis vestræ. Ego enim dividam aquas ab "aquis. Aquæ populi sunt. Dividam populum humilem et "fidelem a populo superbo et perfido: dividam electos a "reprobis, ut lucem a tenebris." Itaque cum datum illi esset os loquens ingentia, habensque cornua similia agni loqueretur ut draco, memoratus regni moderator de consilio procerum evocavit cum satisfacturum de objectis. Qui opportune affuit turbis ita vallatus, ut evocator ejus territus mollius ageret, et pro declinando periculo caute judicium protelaret, Explorato igitur per duos cives nobiles tempore quo inveniri posset sine turbis, præsertim jam cum populus propter periculum obsidum quietius ageret, cum eisdem civibus ad capiendum eum armatam manum emisit. Quorum unum proprius insistentem ipse arrepta bipenni mactavit; alterum vero quidam ex assistentibus ei trucidavit. Illico cum paucis suorum et concubina inseparabiliter adhærente in vicinam ecclesiam beatæ Mariæ, quæ dicitur de Archis, confugit, eaque ad tempus non tanquam asylo sed tanquam castello tueri se voluit, frustra sperans populum mature affuturum; qui nimirum etsi de ipsius periculo doluit, tamen vel respectu obsidum vel metu loricatæ multitudinis ad ereptionem ejus non accurrit. Audito enim quod ecclesiam occupasset, militares eo copias ex vicinis paulo ante provinciis accersitas regni administrator direxit. Jussus ergo egredi et judicio sisti, ne locum orationis spelun-

cam latronum facere videretur, conjuratorum accursum frustra exspectare maluit, donec oppugnata ecclesia igne et fumo cum suis egredi cogeretur. Egredienti autem filius civis quem peremerat prior occurrens, in ultionem paterni sanguinis cultro illi ventrem dissecuit. Captus itaque et juri exhibitus, judicio Curiæ Regiæ prius equis distractus ac deinde patibulo appensus est cum sociis novem qui illi deesse noluerant. Sic juxta quod scriptum est: "Qui fodit foveam, incidet in eam; "et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber," tantorum incentor artifexque malorum dictante justitia periit, et nefariæ conspirationis cum suo auctore rabies exspiravit. Et illi quidem, quibus sanior cautiorque mens fuit, lætati sunt cum viderent vel audirent vindictam, lavantes manus suas in sanguine peccatoris. Porro conjurati et novarum aucupes rerum exstinctum planxere vehementer, disciplinæ publicæ circa eum vigori derogantes, et regni provisorem tanquam homicidam pro supplicio pestilentis et homicidæ lacerantes.

Chapter XXV.

The Mock Sun (A.D. 1196).

In octavis Pentecostes hora diei prima apparuere in cœlo duo soles, sol scilicet verus atque alius tanquam ejus æmulus. Nec facile discerni poterat uter illorum esset sol verus, nisi ex solito processu, alius vero paulo elevatior quasi sequi videbatur; malorum forte quæ subsecuta noscuntur præsagus. Quod signum oculis meis vidi cum aliis quibusdam, qui mecum erant. Cumque suspensi et stupidi diuscule stetissemus, rem tam inusitatam intuentes, repente, dum oculos tædio victi deflectimus, æmulus ille veri solis evanuit.

Chapter XXXIII.

Dangers of Choke-Damp (A.D. 1197).

His diebus mense Augusto in nostra, id est, Eboracensi provincia super flumen Derewentum prodigiosa res accidit, quæ

silentio prætereunda non est, sed nostræ inserenda historiæ ad notitiam et cautelam posterorum.

Apud monasterium regularium clericorum, quod Maltone dicitur, coquendæ calci clibanus parabatur. Cumque jam, ut moris est, a latere deorsum ignis immitteretur post solis occubitum, ejusdem loci præpositus cum quibusdam fratribus aderat, et ne tantus in irritum cederet apparatus, sollicite satagebat. Circa aliud vero latus erat fovea modica usui præparata, altitudinis non amplius quam sex vel septem pedum. In nanc sane unus fratrum dum urgendo opus circuiret, incautius per tenebras properans lapsus est. Et cum non statim exsurgeret, percunctante præposito an læsus esset, respondit, "Perii": quo dicto siluit in mortem; mirantibus silentium ejus cunctis qui aderant, cujus mortem ne suspicari quidem poterant. Nam circumfusæ noctis tenebræ interiora foveæ abscondebant. Rogatus autem quidam ex astantibus descendere ad dignoscendum et renuntiandum quomodo se res haberet, descendit: moxque procumbens etiam ipse cum silentio in mortem obdormivit. Quo non renuntiante aliquid neque egrediente, alius nihilominus jussus descendere, eadem sorte mox absorptus est. Tunc stupor apprehendit omnes qui circumstabant: nec tamen adhuc quiescendum putantes, cautius explorandi gratia, tertium descendere monuerunt. Qui, ut dicitur, salutari signo se muniens, in exitialem foveam descendebat, et confestim exclamans, "Morior," inquit, "morior, extrahite me." Qui autem propius astabant, apprehensa summitate scalæ exiguæ per quam descendebat, hærentem scalæ simul cum ipsa scala extraxerunt. Tunica vero, qua induebatur, disrupta, et quasi violentis male attrectantium manibus conscissa videbatur. Sic ergo idem subtractus exitio, sine voce et sensu diu semianimis jacuit, spumas ore provolvens, deinde paulatim ad se rediens, elanguit per dies plurimos. Tunicam vero suam tanquam pestilentem horruit, nec ea etiam resarcita indui passus est. Sane post exitium memorati fratris, et duorum juvenum qui cum eo occubuerant, cum quidam sequenti luce ad eorum extrahenda corpora descendisset, nihil ibidem vel sensit horroris, vel mali

expertus est; sed innoxie et cum omni fiducia exanimata corpora de loco exitii elevavit. In quibus profecto nulla læsio apparebat, præterquam in oculis sinistris, qui cruenti et quassati videbantur, livorem circa se tanquam recentis percussuræ prætendentes. Hæc denique prout eorum qui vel interfuerunt, vel ab iis qui interfuerant audierunt, concordi narratione didici, literis mandare curavi; eventus plane, quem pro sua novitate cogor mirari, causam non valens rimari.

Contigit autem ante annos aliquot apud Orientales Anglos in vico quodam tres viros operarios, dum studio incolarum puteum vetustum purgarent, et largioris aquæ desiderio e terræ visceribus producendæ altius foderent, subito exanimari; quo viso incolæ eundem puteum ruderibus impleverunt, et locum exitii æternum exanimatis sepulchrum esse voluerunt At istud non adeo mirum est, quia hinc probabiliter ratio reddi potest. Forte enim fundus putei habuit sive argenti vivi sive alterius rei noxiæ venam occultam; quæ, ut creditur, dum a fossoribus eam contigit aperiri, dirum et pestilentem spiritum exhalavit, qui omnem sensum præveniens in momento exstingueret fodientes.

NOTES

P. 7, *circa* depends on *dignatio*, "the honour you do me."

P. 10, "*tibi* . . . *Thule*." Virgil, *Georg.* I. 30. The correct reading is *serviat*.

P. 13, *renatus—i.e.*, christened.

P. 13, *exegit*. Thurstan died February 5, 1140. He gave land for the founding of Fountains Abbey in 1132.

P. 14, *paulo ante*. Walter Espec founded Rievaulx in A.D. 1131.

P. 15, *Fonte Ebraudi*. Fontevraud was founded A.D. 1101. Tiron (in Perche) founded A.D. 1109. Savigny about A.D. 1105.

P. 15, *Clarevallenses*. Savigny was merged in the Cistercian Order, of which St. Bernard of Clairvaux was one of the founders.

P. 17, *quicunque autem*. This is the usual rule in Fairyland. Whoever tastes food there must stay.

P. 18, *baculum*. Note the resemblance between Eon's staff and the divining-rod.

P. 21, *quandam provinciam*. Furness lay in the territory surrendered by Malcolm IV. in A.D. 1157, and was therefore Scottish at this date.

P. 21, *Wilelmo de Sancta Barbara* died November 24, 1152.

P. 21, *Henrico*. Henry Murdac, Abbot of Fountains, died October 14, 1153.

P. 22, *Eugenio*. Eugenius III. died July 8, 1153. Anastasius IV. was elected on July 9.

P. 22, *Wilelmus*. St. William of York died June 8, 1154.

P. 22, *Dunelmensis electus*. Hugh Puiset, consecrated December 20, 1153.

P. 24, *Rogerium*. Roger de Pont l'Evêque, consecrated October 10, 1154.

P. 24, *Gipse*. The village of Wold Newton, eight miles from Bridlington, has a large mere principally supplied by the "gipseys"—streams of water which appear after intervals of two or three years, and disappear after two or three months.

P. 29, *preces . . . indicerentur.* This presumably means that grace was said.

P. 30, *Birkebain.* So called because he and his fellow-outlaws wore birch-bark leggings for want of clothes.

P. 31, *Hacone.* Hacon III., succeeded by Magnus V. in 1162. Inge I. died in 1161, Magnus V. in 1184.

P. 32, *Hæc se carminibus.* Virgil, *Æn.* IV. 487-491.

P. 33, *coronari voluit.* This took place in 1180, *before* the death of Magnus.

P. 33, *Johannes*, John Kuvlung, 1185-1188.

P. 33, *alius juvenis.* Sigurd, A.D. 1193-1194. Sverrir survived till A.D. 1202.

P. 35, *religiosi pastoris.* St. Hugh of Avalon, elected at Henry's instance in A.D. 1186, died A.D. 1200.

P. 36, *decimationem.* The "Saladin Tithe" imposed in England and France A.D. 1188.

P. 37, *veste alba.* The Præmonstratensian habit was white.

P. 37, *legis doctor.* Rabbi Yomtob of Joigny (see Jacobs' *Jews of Angevin England* [1893], p. 131, where the Jewish account of this is printed).

P. 38, *inveterato . . . malorum.* The allusion is to Daniel's address to the elder, "Thou that art waxen old in wickedness" (*Susanna*, v. 52).

P. 41, *vices—i.e.*, the legatine authority.

P. 41, *Eboracensis electus.* Geoffrey, son of Henry II., consecrated A.D. 1191.

P. 41, *Cantuariensis.* Baldwiu died at the siege of Acre, A.D. 1190.

P. 43, *barbarorum catervas—i.e.*, Welsh mercenaries.

P. 44, *Swina.* The Zwin, formerly running into the estuary of the Scheldt at Sluis, was the ancient port of Bruges.

P. 46, *Concilio Lateranensi*, held by Alexander III. in 1179.

P. 50, *xenodochium.* Sherborne Hospital, near Durham.

P. 52, *Creic.* Crayke, near Easingwold.

P. 52, *dominica—i.e.*, *Carnisprivium Sacerdotum*, or Quinquagesima Sunday.

P. 53, *post Pascha.* The Easter Exchequer sat regularly on the morrow of Low Sunday.

P. 53, *cujusdam.* William FitzOsbert. His elder brother was called Richard.

GLOSSARY

[*Words which, though not classical, may be found in Lewis and Short's "Latin Dictionary" are not included.*]

Alemannia	Almain—*i.e.*, territory included in the German part of the Empire.
Albæ	Low Sunday.
angaria	forced labour.
apostatice	in apostasy.
appropio(-aré)	approach.
de Arbusculo	Arbrissel.
Archa (*S. Maria de Archis*)	St. Mary-le-Bow.
Avallo	Avalon.
antiquarius	a copyist.
arcus	bent, turn of mind.
Bella Landa	Byland.
Cadomensis	of Caen.
cancellarius	chancellor.
Caput Jejunii	Ash Wednesday.
cathedralis	cathedral.
Cenomannensis	of Le Mans.
Chino	Chinon.
christus	anointed.
cilicium	hair shirt.
Cisterciensis	of Citeaux.
Clarevallensis	of Clairvaux.
claustralis	monastic
Cluniacensis	of Cluny.
Dacia	Denmark.
defero (with Dative)	defer to.
Deirorum provincia	Yorkshire.
districtio	strictness.
Eudo	Eon.
Fons Ebraudi	Fontevrault.
gazophylacium	treasury.
Gothia	Sweden.
Mala Bestia	Malebisse.
militia regularis	duty as a monk.
Muravensis	of Moray.
Nembroth	Nimrod.
Norica	Norway.
Nothanhumbrani	Northumbrians.
ordo	Holy Orders.
pallium	pall (of an archbishop)
Pons Fractus	Pontefract.
pontificatus	bishopric.
præcentor	precentor.
prælibo	preface.
procurator	seneschal.

professio	profession in a religious order.
provincia *provinciæ*	county.
præfectus	sheriff.
Rievallis	Rievaulx.
Sabbatum Sanctum	Holy Saturday (the day before Easter).
Saviniacum	Savigny.
Tirocinum tonsoratus	Tiron. tonsured.
Urbs Legionum	Chester.
Wirus	Wear.

BILLING AND SONS, LTD., PRINTERS, GUILDFORD ENGLAND

No. 13. THE FRENCH RENAISSANCE. By ARTHUR A. TILLEY, M.A. 8d. net.

No. 14. HINTS ON THE STUDY OF ENGLISH ECONOMIC HISTORY. By W. CUNNINGHAM, D.D., F.B.A., F.S.A. 8d. net.

No. 15. PARISH HISTORY AND RECORDS. By A. HAMILTON THOMPSON, M.A., F.S.A. 8d. net.

No. 16. AN INTRODUCTION TO THE STUDY OF COLONIAL HISTORY. By A. P. NEWTON, M.A., D.Litt., B.Sc. 6d. net.

No. 17. THE WANDERINGS AND HOMES OF MANUSCRIPTS. By M. R. JAMES, Litt.D., F.B.A. Paper cover, 2s.; cloth boards, 3s. net.

No. 18. ECCLESIASTICAL RECORDS. By the REV. CLAUDE JENKINS, M.A., Librarian of Lambeth Palace.

No. 19. AN INTRODUCTION TO THE HISTORY OF AMERICAN DIPLOMACY. By CARL RUSSELL FISH, Ph.D., Professor of American History in the University of Wisconsin. 1s. net.

No. 20. HINTS ON TRANSLATION FROM LATIN INTO ENGLISH. By ALEXANDER SOUTER, D.Litt. 6d. net.

No. 21. HINTS ON THE STUDY OF LATIN. (A.D. 125—750.) By ALEXANDER SOUTER, D.Litt. 8d. net.

No. 22. REPORT OF THE HISTORICAL MSS. COMMISSION. By R. A. ROBERTS, F.R.H.S., Sometime Secretary of the Commission.

(Others to follow.)

TEXTS FOR STUDENTS

No. 1. SELECT PASSAGES
FROM JOSEPHUS, TACITU
SUETONIUS, DIO CASSIUS. Il
trative of Christianity in the First Centu
Arranged by H. J. WHITE, D.D. 3d. n

No. 2. SELECTIC
MATTHEW S.
Arranged by A. J. SKEEL, 9d.

No. 3. SELECTIO FROM
GIRALDUS CAMBRENSIS.
Arranged by C. A. J. SKEEL, 9d.

No. 4. LIBRI SANCTI PATRICII.
The Latin Writings of St. Patrick,
NEWPORT J. D. WHITE, D.D. 6d. n

No. 5. A TRANSLATION OF TH
LATIN WRITINGS OF S
PATRICK.
By NEWPORT J. D. WHITE, D.D. 6d.

No. 6. SELECTIONS FROM TH
VULGATE.
Arranged by H. J. WHITE, D.D. 9d.

No. 7. THE EPISTLE OF ST. CLEMEN
OF ROME. 6d.

No. 8. SELECT EXTRACTS
From Chronicles and Records relatin
English Towns in the Middle Ages. Ed
by F. J. C. HEARNSHAW, M.A., LL.D.

No. 9. THE INSCRIPTION
ON THE STELE OF MÉSA
Commonly called the Moabite Stone.
Text in Moabite and Hebrew with transla
by H. F. B. COMPSTON, M.A. 6d. n

No. 10. THE EPISTLES OF S
IGNATIUS.
Edited by T. W. CRAFER, D.D. 1s.

No. 11. CHRISTIAN INSCRIPTION
By H. P. V. NUNN, M.A. With
Illustrations. 1s. net.

LONDON : S.P.C.K.

TRENT UNIVERSITY
0 1164 0434876 9

DA200 .W72
William, of Newburgh
Selections from the "Historia rerum anglicarum" of William of Newburgh

DATE	ISSUED TO
	135006

William, of Newburgh.

135006

ACL
6244